This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lp
26
490

Gh 26 490



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
FREDERICK ATHEARN LANE,
OF NEW YORK, N. Y.
(Class of 1849)
3 March, 1884.

T. MACCI PLAVTI
COMOEDIAE

RECENSUIT

A. SPENGEL

(VOL. III PARS V)

TRINVMMVS

BEROLINI

APVD S. CALVARY EIVSQVE SOCIVM

MDCCCLXXV

T. MACCI PLAVTI

TRINVMMVS

RECENSUIT

A. SPENGEL

BEROLINI

APVD S. CALVARY EIVSQVE SOCIVM

MDCCCLXXV

MAY 3 1884

PRAEFATIO

In Trinummi fabula recensenda Fr. Ritscheli aeque praefulgent merita atque ex iis qui de singulis locis scripserunt facile palmam habet Th. Bergk (Zeitschrift f. Alterth. 1848). Simul perpoliebat ille apparatum criticum H. Hincki opera usus, uiri doctissimi et hac in re exercitatissimi, qui quam bene munere suo functus esset, cum et ante eum et post eum codicem eundem Romae tractarem meis oculis perspiciebam. Sed quoniam proni sumus ad errorem homines nullo excepto — nisi quod nuper ipse se excepit pontifex noster optimus maximus — uel summae Hincki diligentiae paucula quaedam addi possunt. In quibus est quod pertinet ad subscriptionem scenae primae actus secundi. Post uersum enim 275 subscriptum est in codice uetere (*B*), ut nunc quidem putatur, *lx filto lysiteles*, unde profectus Ritschl (praef. Trin. p. 65) in *lx* suspicabatur cantici numerorum notas latere *LX*, hoc est *sexaginta*, easque relictas esse e computatione stichometrica ipsius antiquitatis. Et est sane tam fallax secundae litterae

species ut nisi qui diligentissime eam examinauerit et cum aliis eius litterae exemplis comparauerit, non possit non falli. Re uera autem non *x* est sed *y*, ita quidem scripta ut altera linea a sinistra ad dextram uergens incuria quadam cum aliquanto longius producta sit magnam in similitudinem abeat cum forma numeri X. Quod cum ita sit, haec habemus: *ly filto lysiteles* neque dubium esse potest quin *ly* sint *lysitelis* nominis litterae primae. Hoc ipsum opinor *Lysitelis* nomen scripturus librarius postquam in scribendo animaduertit *Philtonis* nomen priore loco ponendum esse — prior enim poni solet in subscriptione qui prior loquitur in scena sequente — illud *ly* imperfectum reliquit et recte perrexit scribere *filto lysiteles*.

Ceterum eiusdem iuuenis nomen ut casu nominatiuo *Lysitelis* scriberem pro *Lysiteles* codices suadebant. Quamquam enim librorum scriptura uariare solet inter *Lysitelis* et *Lystelis*, consentiunt tamen in *is* terminatione u. 717 *B lystelis* et *CD lysitelis*, u. 711 *B lysteli sibi* et *CD lysitelisibi* (pro *lysitelis ibi*), u. 705 *B lystelis* et *CD lysitelis*, et post u. 626 *B* habet *listelis*, denique u. 1152 haud dubie *lystelis* latet sub *BCD* scriptura *lysteus*. Similia huius terminationis nominatiuae exempla qui desideret, praeter alios uideat Büchelerum (Grundriss der lat. Dekl. p. 8).

Singulis locis quid mutauerim etsi non est in animo omnia perlustrare, aliquam tamen partem quoad paucis fieri potest argumentis subfulciam. Ac primum qui-

dem de nominibus propriis quibusdam haesitanti mihi Th. Mommsen in auxilium uocatus benignissime operam dedit ut et ipse quid sentiret profiteretur et E. Hübnerum meo nomine rogaret, qui condus promus ex diuitiis suis liberaliter haec mecum communicauit: nihil probabile habere *Calliciae* nomen u. 916 in libris traditum neque quidquam simile in inscriptionibus ad eam speciem accedere uideri praeter *Callimi* (Mommsen Inscr. Neap. 6828, 14) et *Calliae* nomina. Idem auctor est de *Cercŏnĭci* nomine u. 1020 eos quos signaui numeros explente aliquo modo ita cogitari posse ut in prioribus syllabis solis epitheton comicum lateat. Maxime tamen morem Plautinum mihi uidetur profiteri *Crĕcŏnīcus*, quod uocabulum ex *χρέκειν* et *νικᾶν* compositum notet seruum pertinacia uincentem plagas. Cetera quoque nomina eius uersus 1020 in codicibus uarie deprauata curaui ut quam proxime accederent ad librorum fidem. Scripsi igitur *Tróchŭs fuit Creconícus Crinnus Cérdobulus Cóllabus*, in quibus meae mutationis sunt *Trochus* (pro *Truchus*) et *Cerdobulus* (pro *Cercobulus*). Et *Collabus* quidem, ut a postremo incipiam, nomen accepit ab epitonio, quo ut ad tendendas lyrarum chordas utebantur ita etiam in seruorum tormentis uidentur usi esse ueteres. Tum lucrum spectat *Cerdobulus*, deinde ad aliud tormenti genus refero *Crinni* nomen, quoniam Hesychius *κρίνη* explicat *κνίδη*, et *κνιδοῦντες* idem ualere testatur atque *κνίδῃ μαστιγοῦνιες*. Denique *Trochum* nolim fugitiuum interpretari sed seruus nequam ab ipso tormento quo castigatur nomen habet ut *mastigia*

et similia. Passim enim in tormentis ponitur τροχός Demosth. 29, 40, Aristoph. Lys. u. 846, Plut. u. 875, alibi. — Qui hunc proxime sequitur uersus 1021: *Oculicrepidae cruricrepidae ferriteri mastigiae*, in hoc W. A. Beckeri quidem mutatione *Collicrepidae* non est opus — solebant enim uerberantes plagis oculos petere ipso Plauto teste locupletissimo Trin. 463, Poen. I, 2, 169, Men. 1011, Rud. III, 2, 45, al. — sed *oculicrepidae cruricrepidae* duas uoces eadem ratione componere non est artis Plautinae. Quodsi reputaueris et Iuuenalem Sat. 14, 19 habere *plagarum strepitus* et Nostrum Amph. V, 1, 10 coniunxisse *strepitus crepitus*, in magnam probabilitatem ueniet id quod posui *Oculistrepidae cruricrepidae*. De crurum crepitu confer Pseud. 131. — V. 948 qui uersus mutilus ab initio talis est in codicibus: * * * *mit aut te uelle uideo* in integrum restituisse mihi uideor cum sic scribo: [*Facia*]*m ita ut te uelle uideo*, quam correcturam cum et sententia ductus et collatis u. 883 et 1172 ante hos tres quattuorue annos in libri mei margine adscripsissem, nunc ipsum dum Persae fabulam reuoluo in locum incidi plane gemellum. Eisdem enim uerbis Pers. u. 662 Sagaristio: *Faciam ita ut te uelle uideo.* — V. 990: *sero quoniam* [*huc*] *aduenis* remota uoce *huc* quae inde a Reizio inserebatur posui: *serior quoniam aduenis* addita in primo uocabulo littera una ad librorum scripturam quae est *serio*. Similiter enim hoc comparatiuo utuntur Cicero Tibullus Ouidius alii. — V. 539: *Nam fulguritae sunt alternae*

arbores ad remouendum syllabarum hiatum*) adsciui *alternis* omisso quod passim fieri solet *uicibus*. Vide enim Plinium epist. V, 6, qui et ipse de agro arboribus consito loquitur: *alternis metulae surgunt modo alternis inserta sunt poma*, Varro d. r. r. III, 16, 9, Liu. VII, 2, Senec. epist. 120, Verg. Georg. I. 71. — V. 502 qui nunc est: *Quin fabulare 'di bene uortant, spondeo'?* suspitionem mouebat quod libri cum ipso Ambrosiano habent *uortat* numero singulari, et quoniam tres litterae pro *di* apparent in Ambrosiano, non dubitaui scribere: *Quin fabulare? dic 'bene uortat! spondeo.'* Cum enim praecesserint haec uerba: *quae res bene uortat! quid taces?*, quam aptum sit illud *dic* facile concedes si animaduerteris haec quae sequuntur: *Eheu nil usus ubi erat dicto 'spondeo' Dicebat, nunc hic quom opus est non quit dicere.* — V. 427 qui uersus in omnibus libris traditus nunc exul patriam desiderat, eius tutelam mihi suscipiendam esse arbitrabar ut uerba paulum immutata in locum suum redirent. Est autem hic inter Lesbonicum et Stasimum sermo de mille drachmis trapezitae redditis:

*L. Nempe quas spopondi? S. Quas dependi immo**) inquito,*
Qua sponsione pronuper tute exactus es
Pro illo adulescente quem tu esse aibas diuitem.

---

*) Quae enim olim de hiatu dixeram, horum pauca nunc mihi probari hac ipsa Trinummi recensione apparebit.

**) Numeros subleuandos esse duxi traiecto *immo* (libri

Hoc dicit: non solum spopondisti sed etiam dependere coactus es quoniam propter istam sponsionem tuam tu ipse pro illo adulescente exigebaris. Facile haec sententia prodit mutatione facta hac: *Quia sponsionem propter i. e. es.* In anastrophe positum est *propter* ut Amph. IV, 1, 8, item reponendum uidetur *amorem propter* Mil. 1284. — V. 538: *si omnia a me audiueris* contra usum Plautinum dictum esse *a me* demonstrauit Kampmann, et sane cum aliis recipere poteram *ex me audiueris.* Memor tamen quam saepe a librariis inter se confusa sint *NT* et *M* siue *nt* et *m* litterae lenius mihi uidebar corrigere *ante audiueris.* — V. 491 — 494 de quibus plurima disputata sunt a uiris doctis, in hanc speciem refinxi:

uerum nos homunculi
Sal illuc animae quomque extemplo emisimus,
Aequo mendicus atque ille opulentissumus
Censetur censu ad Acheruntem mortuos.

Retinui igitur *BCD* codicum scripturam *sal illum* nisi quod *illuc* scripsi, animam humanam commode cum sale comparari ratus quia ut cibus constare non potest sine sale ita non potest uiui sine anima et quia exigua forma salis indicat exiguum temporis spatium quod uiuentes animam ducimus. Quod autem *quomque* scripsi (pro *qui quum*) eo sensu ut sit *quomcunque*, hoc uocabulum aliis exemplis me probare

---

immo quas dependi) nisus Aul. IV, 10, 34: *Negas? L. Pernego immo.* Etiam infra u. 1185 possis: *Huic immo parumst.*

non posse concedo. Nihil tamen obesse uidebatur quominus ut *quisque*, *quemque* frequentatur apud Plautum pro *quicunque*, *quemcunque* (Mil. 156, 160, 460, Amph. I, 1, 153, al.) et *ubique* pro *ubicunque* est (Rud. II, 3, 58) et apud alios *quandoque* pro *quandocunque*, ita *quomque* poneretur pro *quomcunque*. — Versum 1155 uno pede destitutum hoc modo suppleui: *Deos uolo consilia uostra* [*recta*] *recte uortere*, eo quem adamauit poeta syllabarum concentu. *Consilia recta* habes etiam apud Terentium Andr. II, 1, 11, Haut. II, 3, 86. — V. 107 Callicles sententiam suam probaturus: *Id*, inquit, *ita esse ut credas*, *rem tibi auctorem dabo*, cuius dictionis simile exemplum indagare quoniam neque contigit neque continget ulli, dempsi unam litteram ut esset: *em*, *tibi auctorem dabo* (conf. u. 185). — V. 769 conformaui ad similitudinem Pseud. 385. — V. 332 *mercaturamne an uenalis habuit* pro accusatiuo accepi Ambrosiani scripturam *mercaturan* (= mercaturamne) et u. 375 *uxoren* scripsi (= uxoremne) similiter atque Bacch. 588 *utran* (= utramne) iam in cod. F repositum exstat. — V. 726 ausus sum *taberinaculo* sex syllabarum facere ad similitudinem horum *techina*, *discipulina* al. — V. 872 *heus senex* (*heu* codd.) quoniam *heus* non est respondentis sed eius qui prior alterum uocat, *em* siue *ehem* scribere malui, cf. Asin. II, 4, 43. Sententia patitur etiam uel *uah* uel *eho* (conf. Bacch. 1149). — V. 762 sic intellexi: respondebit tibi amicus, cui argentum ab eo petiturus omnia enarraueris, malle se ut Lesbonico uerum dicas de thensauro quam ut uirgini pro dote

argentum des quod ipse mutuum sumas ab amico. Statim igitur Megaronides ut supra Callicles u. 750 consilium modo prolatum ipse improbat et nihili esse intellegit, unde poeta transitum parat ad scitissimum illud consilium quod facile probatur utrique. — V. 402 *Minus quindecim dies sunt quam* (= *postquam*) *accepisti* tueor *quam* ex Ambrosiano. Simile est ex parte Asin. II, 4, 36: *aibat reddere quam extemplo redditum esset.* — V. 152 suspiceris *tremilia* pro *tria milia* duce Quintiliano qui inst. or. I, 5, 15 *trepondo* ab omnibus dictum esse confirmat. — V. 125 retinui *has aedis* ne librorum scriptura hoc in genere obscuretur quamquam nullus dubito quin recte a Fleckeiseno repositum sit *hasce aedis*. Ceterum hic illic in optimis libris comparent ante uocalem *hasc*, *hisc* haud scio an non spernenda: u. 177 *hisc aedibus BC*, u. 181 *hasc emi A*, u. 402 *isce bibus* = *hisc edibus B*, Most. 1082 *hasce aedis* = *hasc aedis B*, *hasc edis CD*, Merc. 799 *ex hisc aedibus B*, Most. 950 *hisc in aedibus A*, *hisc aedibus B*, 935 *illisc homines CD*, nisi quod librarii saepius *c* finale per errorem proximo uocabulo adglutinant.

Versum 792 uncis inclusi, additamentum enim uidebatur ea ratione factum ut ex sescentis illis causis (u. 791) una proferretur. Neque uerba sine uiolentia in iambicum trimetrum redigi possunt sed trochaicorum dimetrorum catalecticorum numeros profitentur:

Íllum quem habuit pérdidit,
Álium post fecít nouom

non admodum probabiles inter iambos. Ceterum in interpretamentis inuestigandis cum cautior quam sagacior esse mallem, seruabam interdum librorum scripturam quamquam non omni suspitione liberam iudiciumque ut in re dubia ad ipsum lectorem remittebam.

Pro *quandŏquidem* rectius *quando equidem*, scribi persuasit mihi Ribbeck (Beiträge zur Lehre von den lateinischen Partikeln p. 36 ff.). Ipsis codicibus nituntur *quando equidem* u. 352, *atque equidem* u. 611, unde cum fides fiat locis similibus, proposui *si equidem* u. 904, 978*) et *dum equidem* u. 58. Saepissime inuenitur *hĭc quidem*, quod rectius uno uocabulo comprehendas *hĭcquidem* uel *hĭquidem***) — encliticon enim esse *quidem* et aliis causis apparet et grammatici ueteres testantur — quam mensuram unice ueram esse ex iis locis intellegimus, ubi ante *hic quidem* uocabulum breue monosyllabum positum est cum accentu uelut *pól hic quidém* u. 851. Emendationem igitur postulat *hīc quidem* Poen. V, 3, 6,***) quoniam Bacch. 453 aliique loci ubi nunc *hīc quidem* est in editionibus fide librorum carent. Contra aliam mensuram habet *hōc*

*) Noli tamen sollicitare *sīquidem, quandōquidem* Rud. IV, 4, 17 et 47, V, 3, 5, Stich. 485, 559, Pseud. 628, Curc. V, 3, 26, Pers. 487 al.

**) Nuperrime idem suasit Luchs (Genetivbildung der lat. Pronomina p. 26) et plura de hac re se diserturum esse promisit.

***) Coniicias *Poenus per bonust* uel *per probust*.

quidem (Curc. I, 3, 26, Epid. III, 3, 28, Merc. 285, Pseud. 1078 al.).

Actus II scenam primam cum parte secundae anapaesticis potissimum numeris descripsi, quo numerorum genere quamuis durum ad aures accidere uideatur saepius quam nunc in editionibus comparet usum esse Plautum et mihi persuasissimum est et ante me uel diserte uel tacite statuebant Studemund, Bücheler, C. F. W. Müller, alii. Consentit autem haec mea uersuum distributio tota fere cum Ambrosiani et Vaticani *B* exemplo. Ceterum in sexaginta quinque acatalectis uersibus nunc sunt catalectici quinque, quos ne librorum memoriae uim facerem consulto intactos reliqui. Sed cum lenissima mutatione in acatalectorum numeros redigi possint et ne is quidem uersus catalecticus sit qui finem facit scenae (u. 275), haud scio an illi quoque olim acatalecti fuerint sic fere scribendi: u. 269 *Quos tíbi obnoxiosos fécisti*, u. 273 *Gloriam ét gratias, hoc próbis pretiumst* (conf. u. 36), uel *gratiam probis hoc*, u. 288 *Fas hábent* [*ut*] *quo manus ápstineant*, u. 290 *Haec míhi quoniam uideo éliciunt* (*quon* enim pro *quom* habet *B*), u. 296 *Quae*[*que*] *égo tibi praecipio éa facito.*

Ab argumenti uersibus emendandis manum abstinui, quoniam ne ipse argumenti scriptor corrigeretur periculum suberat neque ad Plautinas regulas omnia ille accommodasse uidetur. Ecce exemplum notabile! Per totam Amphitruonis fabulam poeta Alcumenae nomine quattuor syllabarum utitur,

in argumento altero bis habes Alcmenam trium syllabarum u. 3 et 5:

Alcménam uxorem cépit usurúriam
Abséntis, his Alcména decipitúr dolis

in altero bis Alcumenam syllabarum quattor u. 1 et 9:

Amóre captus Álcumenas Iúppiter
Omném rem noscunt, Álcumena enítitur

sic enim posterior uersus scribatur oportet.

Duas uocales unam syllabam explentes quarum quae praecedit altera breuis posteriori longae uelut addicta latet,*) quo facilius uobabuli mensura sub oculos cadat, ita in contextu exprimendas curaui ut breuis illa uocalis minusculam ferat litteram uelut meo, tuas'. Noli enim per diphthongum proferre *méo*, *túas*, sed prior uocalis tantum non deuoretur oportet eundemque in modum per minutius temporis spatium exaudiatur quo nota musica exaudiri solet nullo cum detrimento numerorum longiori notae praefixa. Tales quidem uocales quoniam unius mensuram habent, una elidi possunt in fine uocabuli positae siquidem proximum uocabulum a uocali longa incipit uelut *meo árbitratu*, neque uero idem licèt si a breui initium fit uoci proximae uelut *meo édepol*, neque unquam

*) Pertinent huc *mis* pro *meis* traditum in *BC* u. 822, *mi* pro *mei* Rud. IV, 4, 100 *(o mi parentes)*, *sis* (pro *suis*) *oculis* et apud Lucretium III, 1025 et apud Ennium teste Festo p. 301 M. qui etiam *sas* habet pro *suas* (p. 325 M.) cum similibus. conf. Bücheler lat. Decl. p. 21.

[illegible] hoc est me[illegible] [illegible], prolegomena, idque ut [illegible] curaui.

[illegible] scripturas ante oculos ponere in eis [illegible] quibus Ritscheli cura uersabatur supersedeo. Versuum numeros eosdem esse uolui qui sunt apud Ritschelium et Fleckeisenum.

In fronte libri personarum imagines posui quod opus marmoreum seruatur in Vaticani museo Chiaramonti n. 106.

Scripsi Monachii m. Aprili a. 1874.

ARGVMENTVM

Thensaúrum apstrusum ábiens peregre Chármides
Remque ómnem amico Cállicli mandát suo.
Istóc apsente mále rem perdit filius.
Nam et aédis uendit. hás mercatur Cállicles.
Virgo índotata sóror istius póscitur.
Minŭs quó cum inuidia eí det dotem Cállicles,
Mandát qui dicat aúrum ferre se á patre.
Vt uénit ad aedis, húnc deludit Chármides
Senéx ut rediit, quóius nubunt líberi.

PERSONAE

LVXVRIA
INOPIA } prologus

MEGARONIDES senex
CALLICLES senex
LYSITELIS adulescens .
PHILTO senex (Lysitelis pater)
LESBONICVS adulescens
STASIMVS seruos (Lesbonici)
CHARMIDES senex (Lesbonici pater)
SYCOPHANTA

PROLOGVS

Lvxvria Inopia

LVX. Sequere hác me gnata ut múnus fungarís tuom.
IN. Sequór sed finem fóre quem dicam néscio.
LVX. Adést. ĕm illae sunt aédes. i intro núnciam.
Nunc néquis erret uóstrum, paucis ín uiam
Dedúcam siquidem óperam dare promíttitis.
Nunc ígitur primum quae égo siem et quae illaéc siet
Huc quae ábiit intro, dícam si animum aduórtitis.
Primúm mihi Plautus nómen Luxuriae índidit,
Tum hanc [*aútem*] mihi gnatam ésse uoluit Ínopiam.
Sed ea húc quid introd íerit inpulsú meo,
Accípite et date uocíuas auris dum éloquor.
Aduléscens quidamst, quí in hisce habitat aédibus.
Is rém paternam me ádiutrice pérdidit.
Quoniam eí qui me aleret níl uideo esse rélicui,
Dedi eí meam gnatam, quícum [*una*] aetatem éxigat.
Sed de árgumento ne éxspectetis fábulae,
Senés qui huc uenient í rem uobis áperient.
Huic graéce nomen ést Thensauro fábulae.
Philémo scripsit, Plaútus uortit bárbare.
Nomén Trinummo fécit. nunc hoc uós rogat
Vt líceat possidére hanc nomen fábulam.
Tantúmst. ualete, adéste cum siléntio.

ACTVS I

MEGARONIDES *senex.*

Amícum castigáre ob meritam nóxiam
Inmoénest facinus uérum in aetate útile
Et cónducibile. nám ego amicum hodié meum
Concástigabo pró conmerita nóxia,
Inuítus, ni id me inuítet ut faciám fides.
Nam hic nímium morbus móres inuasít bonos.
Ita plérique omnis iám sunt intermórtui.
Sed dumílli aegrotant, ínterim morés mali
Quasi hérba inrigua súccreuere ubérrume.
EORÚM licet iam métere messem máxumam.
Neque quícquam hic uile núnc est nisi morés mali.
Nimióque hic pluris paúciorum grátiam
Faciúnt pars hominum quam íd quod prosint plúribus.
Ita uíncunt illud cónducibile grátiae,
Quae in rébus multis ópstant odiossaéque sunt
Remorámque faciunt reí priuatae et púplicae.

CALLICLES MEGARONIDES *senes.* I, 2.

CAL. Larém corona nóstrum decorarí uolo.
Vxór, uenerare ut nóbis haec habitátio
Bona faústa felix fórtunataque éuenat -

Teque út quam primum póssim uideam emórtuam.
MEG. Hic illést senecta aetáte qui factúst puer,
Qui admísit in se cúlpam castigábilem.
Adgrédiar hominem. CAL. Quoía hic uóx prope mé sonat?
MEG. Tui béneuolentis sí ita's ut ego té uolo,
Sin áliter es inimíci atque iratí tibi.
CAL. O amíce salue*to* átque aequalis! út uales
Megarónides? MEG. Et tu édepol salue Cállicles.
Valén'? ualuistin'? CAL. Váleo et ualui réctius.
MEG. Quid túa agit uxor? út ualet? CAL. Plus quam égo uolo.
MEG. Bene hérclest illam tíbi ualere et uíuere.
CAL. Credo hércle te gaudére, siquid míhi malist.
MEG. Omníbus amicis quód mihist cupio ésse item.
CAL. Eho tú, tua uxor quíd agit? MEG. Immortális est,
Viuít uicturaquést. CAL. Bene hercle núntias,
Deosque óro ut uitae tuaé superstes súppetat.
MEG. Dum quídem hércle tecum núpta sit, sané uelim.
CAL. Vin' cónmutemus? túam ego ducam et tú meam?
Faxo haú tantillum déderis uerborúm mihi.
MEG. Namque énim tu, credo, mi ínprudenti obrépseris!
CAL. Ne tu hércle faxo hau néscias quam rem égeris.
MEG. Habeás ut nanctu's. nóta mala res óptumast.
Nam ego núnc si ignotam cápiam, quid agam nésciam.
CAL. Edepól proínde ut diu uíuitur, bene uíuitur.
MEG. Sed hoc ánimum aduorte atque aúfer ridiculária.
Nam ego dédita opera huc ád te aduenio. CAL. Quíd uenis?
MEG. Malís te ut uerbis múltis multum obiúrigem.

CAL. Men'? MEG. Númquis est hic álius praeter me átque te?
CAL. Nemóst. MEG. Quid tu igitur rógitas ten' obiúrigem?
Nisi tú me mihimet cénses dicturúm male.
Nam si ín te aegrotant ártes antiquaé tuae
[Sin inmutare uis ingenium moribus]
Aut sí demutant móres ingeniúm tuom,
Neque eós antiquos séruas, ast captás nouos,
Omníbus amicis mórbum tu incutiés grauem,
Vt té uidere audíreque aegrotí sient.
CAL. Qui in méntem uenit tíbi ĭstaec dicta dícere?
MEG. Quia ŏmnís bonos bonásque adcurare áddecet,
Suspítionem et cúlpam ut ap se ségregent.
CAL. Non pótis utrumque fíeri. MEG. Quaproptér?
CAL. Rogas?
Ne admittam culpam, ego meó sum promus péctori,
Suspítiost in péctore alienó sita.
Nam núnc ego si te súrrupuisse súspicer
Iouí coronam dé capite ex Capitólio
Qui in cólumine adstat súmmo, si id non féceris
Atque íd tamen mihi lúbeat suspicárier,
Qui tu íd prohibere mé potes ne súspicer?
Sed ĭstúc negoti cúpio scire quid siet.
MEG. Habén' tu amicum aut fámiliarem quémpiam,
Quoi péctus sapiat? CAL. Édepol haud dicám dolo.
Sunt quós scio esse amícos, sunt quos súspicor,
Sunt quórum ingenia atque ánimos nequeo nóscere,
Ad amíci partem an ád inimici péruenant.
Sed tu éx amicis cértis mi's certíssumus.
Siquíd scis me fecísse inscite aut ínprobe,

Si id nón me accusas, túte obiurgandús'. MEG. Scio.
Haud ália causa ad te áduenì. aequom póstulas.
CAL. Exspécto siquid dícas. MEG. Primumdum ómnium
Male díctitatur tíbi uolgo in sermónibus.
Turpílucricupidum té uocant ciués tui.
Tum autém sunt alii quí te uolturiúm uocant.
Hostísne an ciuis cómedis parui péndere.
Haec quom aúdio in te díci, *dis*cruciór miser.
CAL. Est átque non est mi ín manu, Megarónides:
Quin dícant, non est, mérito ut ne dicánt, id est.
MEG. Fuitne híc tibi amicus Chármides? CAL. Est ét fuit.
Id ita ésse ut credas, ém, tibi auctorém dabo.
Nam póstquam hic eius rém confregit fílius
Vidětque ípse ad paupertátem prostratum ésse se
Suámque filiam ésse adultam uírginem,
Simul éius matrem suámque uxorem emórtuam,
Quoniam hínc iturust ípsus in Seleúciam,
Mihi cónmendauit uírginem gnatám suam
Et rém suam omnem et cónrumptum illum fílium.
Haec, sí mi inimicus ésset, credo hau créderet.
MEG. Quid tu, ádulescentem quem ésse conrumptúm uides,
Qui tuaé mandatus ést fide et fidúciae,
Quin eúm restituis, quín ad frugem cónrigis?
Ei rei óperam dare te fúerat aliquanto aéquius,
Siquí probiorem fácere possis, nón uti
In eándem tute accéderes infámiam
Malúmque ut eius cúm tuo miscerés malo.
CAL. Quid féci? MEG. Quod homo néquam. CAL. Non istúc meumst.

MEG. Emístin de adulescénte has aedis - quíd taces? -
Vbi núnc tute habitas? CAL. Émi atque argentúm dedi,
Minás quadraginta ádulescenti ipsi ín manum.
MEG. Dedïstín' argentum? CAL. Fáctum neque factí piget.
MEG. Edepól fide adulescéntem mandatúm malae!
Dedïstín' hoc facto ei gládium qui se occíderet?
Quid sécus est aut quid ínterest dare te ín manus
Argéntum amanti homini ádulescenti, animi ínpoti,
Qui exaédificaret súam incohatam ignáuiam?
GAL. Non égo illi argentum rédderem? MEG. Non rédderes
Neque de íllo quicquam néque emeres neque uénderes
Nec quí deterior ésset faceres cópiam.
Incónciliastin' eúm qui mandatúst tibi?
Ille quí mandauit éum ĕxturbasti ex aédibus!
Edepól mandatum púlcre et curatúm probe!
Crede huíc tutelam, suám rem melius gésserit.
CAL. Subigís maledictis mé tuis, Megarónides,
Nouó modo adeo ut quód meae concréditumst
Tacitúrnitati clám fide et fidúciae
Ne enúntiarem quoíquam neu facerém palam,
Vt míhi necesse sít iam id tibi concrédere.
MEG. Mihi quód credideris, súmes ubi posíueris.
CAL. Circúm te spicedum, néquis adsit árbiter
Nobís et quaeso idéntidem circúmspice.
MEG. Auscúlto siquid dícas. CAL. Si taceás, loquar.
Quoniam hínc est profectúrus peregre Chármides,
Thensaúrum demonstráuit mihi in hisce aédibus

Hic ín conclaui quódam - sed circúmspice! -
MEG. Nemóst. CAL. Nummorum Phílippeum ad tria mília.
Id sólus solum pér amicitiam et pér fidem
Flens me ópsecrauit suó ne gnato créderem
Neu quoíquam, unde ad eum id pósset permanáscere.
Nunc si ílle huc saluos réuenit, reddam suóm sibi.
Siquíd eo fuerit, cérto illius fíliae
Quae míhi mandatast hábeo dotem ut índe dem,
Vt eam ín se dignam cóndicionem cónlocem.
MEG. Pro di ínmortales, uérbis paucis quám cito
Aliúm fecisti me! álius ad te uéneram.
Sed ut óccepisti, pérge porro próloqui.
CAL. Quid tíbi ego dicam, qui íllius sapiéntiam
Et meám fidelitátem et celata ómnia
Paene ílle ignauos fúnditus pessúm dedit?
MEG. Quidúm? CAL. Quia, ruri dúm sum ego unos séx dies,
Me apsénte atque insciénte, inconsultú meo,
Aedís uenalis hásce inscribit lítteris.
MEG. Adésuriuit ét inhiauit ácrius.
Lupus ópseruauit dúm dormitarét canes,
Gregem úniuorsum uóluit totum auórtere.
CAL. Fecísset edepol, ni haéc praesensissét canes.
Sed núnc rogare [*hoc*] égo uicissim té uolo.
Quid fúit officium meúm me facere? fác sciam.
Vtrum índicare me eí thensaurum aequóm fuit,
Aduórsum quam eius me ópsecrauisset pater?
An ego álium dominum páterer fieri hisce aédibus?
Qui emísset, eius éssetne ea pecúnia?
Emi égomet potius aédis. argentúm dedi

Thensaúri causa, ut sáluom amico tráderem.
Neque ádeo hasce emi míhi nec ussuraé meae.
Illí redemi rússum, a me argentúm dedi.
Haec súnt. si recte seú peruorse fácta sunt,
Ego mé fecisse cónfiteor, Megarónides.
Em méa malfacta, em [ém] meam auaritiám tibi!
Hascín' propter res máledicas famás ferunt?
MEG. *Παῦσαι*, uicisti cástigatorém tuom.
Occlústi linguam, níhil est quod respóndeam.
CAL. Nunc égo te quaeso ut me ópera et consilió iuues
Conmúnicesque hanc mécum meam prouínciam.
MEG. Pollíceor operam. CAL. Ergo úbi eris paulo póst? MEG. Domi.
CAL. Numquíd uis? MEG. Cures tuám fidem. CAL. Fit sédulo.
MEG. Sed quíd ais? CAL. Quid uis? MEG. Vbi nunc adulescéns habet?
CAL. Postículum hoc recépit quom aedis uéndidit.
MEG. Istúc uolebam scíre. i sane núnciam.
Sed quíd ais, quid nunc uírgo? nempe apŭd tést? CAL. Itast.
Iuxtáque eam curo cúm mea. MEG. Recté facis.
CAL. Numquíd priŭsquam abeo mé rogaturús'? MEG. Vale. —
Nihil ést profecto stúltius neque stólidius
Neque méndaciloquom néque adeo argutúm magis
Neque cónfidentilóquius neque peiiúrius
Quam urbáni adsidui cíues quos scurrás uocant.
Atque égomet me adeo cum íllis una ibidém traho,
Qui illórum uerbis fálsis acceptór fui,

Qui omnía se simulant scíre neque quicquám sciunt.
Quod quísque in animo habént aut habiturí, sciunt.
Sciúnt quid in aurem réx reginae díxerit.
Sciúnt quod Iuno fábulatast cúm Ioue.
Quae néque futura néque sunt, tamen illí sciunt.
Falsón' an uero laúdent, culpent quém uelint,
Non flócci faciunt, dúm illud quod lubeát sciant.
Omnís mortalis húnc aiebant Cálliclem
Indígnum ciuitáte ac sese uíuere,
Bonís qui hunc adulescéntem euortissét suis.
Ego de eórum uerbis fámigeratorum ínsciens
Prosílui amicum cástigatum innóxium.
Quod si éxquiratur úsque ap stirpe auctóritas,
Vnde quídque auditum dícant, nisi id adpáreat,
Famígeratori rés sit cum damno ét malo:
Hoc íta si fiat, púplico fiát bono.
Paucí sint faxim quí sciant quod nésciunt,
Occlúsioremque hábeant stultiloquéntiam.

ACTUS II.

LYSITELIS *adulescens.*

(trochaici.) Multás res simítu in meó corde uórso,
Multum ín cogitándo dolórem indipíscor.
Egomét me coquo ét macero ét defetígo.
Magíster mihi éxercitór animus núnc est.
Sed hóc non liquét nec satís cogitátumst,
Vtrám potius hárum mihi ártem expetéssam,

Vtram aétati agúndae arbitrér firmiórem,
Amórin' me an reíi opsequí potius pár sit,
Vtra ín parte plús sit uolúptatis uítae
Ad aétatem agúndam.
(iamb.) De hac ré mihi satis haú liquet, nisi hóc sic faciam, opínor,
Vt utrámque rem simul éxputem, iudéx sim reŭsque ad eám rem.
(anap.) Ita fáciam, ita placet. omnium primum
Amŏr ártis loquăr quem ad módum ĕxpediat
Numquam ámŏr quemquam nisi cúpidum hominem
Postúlăt se in plagas cónicere.
EOS cáptat, eos conséctatur,
Subdóle ăb re consulĭt [*cónsilium.*]
Blandíloquentulus harpágŏ mendax
Cuppés auidus despóliator
Latebrícolarum hominum cónrumptor
Inpós celatum indágator.
Nam quí amat quod amat quam éxtemplo
Sauiís sagĭttatis pércussust,
Ilícŏ res forăs labítŭr lĭquitur.
'Da mi hóc mel meúm, si me ámăs, si audes.'
Ibi illé cuculus: 'ocule mí fiat.
Et istúc ĕt si ampliŭs uis dárĭ, dabitur.'
Ibi illá pĕndentem iam amplíus orat.
Non sát id ĕst malĭ, ni amplíus etiam
Quod bíbĭt quod comĕst, quod fácĭt sumpti.
Nox dátŭr, ducitŭr familía tota:
Vestíspica unctor aurí custos,
Flabélliferae sandáligerulae

(troch.) Cántrices cistéllatrices núntii renúntii,
(iamb.) Raptóres panis ét peni.
Fit ípse, dum illis cómis est,
Inóps amátor.
(anap.) Haec égo cum agŏ cum meo anímo ĕt recolo
Ubi quí eget quam pretĭ sít parui,
Apage ámŏr te, non placĕs, níl te utor.
Quamquam íllud est dulce esse ét bibere,
Amŏr dát tamĕn satis quod aégre sit.
Fugĭt fórŭm, fugitat suos cógnatos,
Fugănt ípsi istum a suo cóntutu
Neque eúm sibi amicum uólŭnt dici.
Millé modis amor ignórandust,
Procul ábhibendust atque ăpstinendust.
Nam qui ín amorem praecípitauit,
Peiús perĭt quasi saxó saliat.
Apagé te amor sis, tuas rés tibi habe.
Amŏr míhi amicus ne fuás unquam.
Sunt táměn quos miseros máleque habeas,
Quos tíbi ŏbnoxios fecísti.
Certúmst ad frugem ădplicáre animum,
Quamquam íbi animŏ labŏs grandís capitur.
Bonĭ síbi haĕc expetŭnt rem fídem honorem
Gloriam ét gratiam, hoc probĭs prétiumst.
Eo míhi magis lubĕt cum próbĭs potius
Quam cum ínprobĭs uiuere uánidicis.

---

2. PHILTO *senex.* LYSITELIS *adulescens.*

(iamb.) PH. Quo illíc homo foras se pénetrauit?
LYS. Pater ádsum. inperă [*si*] quíd [*me*] uis,

Neque tíbi ero in morã neque látebrose
Me aps tuó conspectu occúltabo.
PH. Fecéris par tuis cetéris factis
Patrĕm tuóm si colĕs per píetatem.
Nolo égo cum inprobĭs te uírĭs gnate
Neque ĭn uiá neque ĭn forŏ sermónem ĕxsequi.
Noui égo hoc saecúlŭm moríbŭs quibŭs sit.
Malŭs bónŭm malŭm uolt ut sít similis.
(iamb.) Turbánt miscent morés mali, rapáx auarus ínuidus
Sacrúm profanum, púplicum priuátum habent, hiúlca gens.
(anap.) Haec ego doleo haec sunt quae éxcruciant,
Haec diés noctes canto út caueas.
Quod mánŭ non queŭnt tangére, tantum
Fas háběnt quo manŭs apstíneant.
Cetéra rape trahe fuge látĕ! lacrumas
Haec míhi quom uideo elíciunt,
Quia ego ád hoc genus hominum dúraui.
Quin príŭs me ad pluris pénetraui!
Nam hi móres maiorúm laudant,
eosdém lutitant quos cónlaudant.
Hisce égo de artibŭs gratiám facio,
Neu cólãs neue inbuãs íngenium
Meo módo ĕt moribŭs uiuíto ăntiquis
Quae ego tíbi praecipio, ea fácito.
Nihil égo ĭstos morŏr faeceós mores
Turbídŏs, quibus bonĭ dedécorant se.
Haec tíbi si mea ĭnperiá capesses,
Multá bona in pectore cónsident.
LYS. Sémper ego ŭsque ad hánc aetatem ab íneunte adulescéntia

Tuís seruiui séruitutem inpériis praeceptís, pater.
Pro íngenio ego me líberum esse rátŭs sum, pro inperió tuo
Méum animum tibi séruitutem séruire aequom cénsui.
PH. Quí homo cum animo inde áb ineunte aetáte depugnát suo,
Vtrum itan' esse máuelit ut eum ánimus aequom cénseat,
Án ita potius út parentis éum ĕsse et cognatí uelint,
Si ánimus hominem pépulit, actumst, ánimo seruit, nón sibi.
Sĭ ípsus animum pépulit, uiuit, uíctor uictorúm cluet.
Tú si animum uicísti potius quam ánimus te, ést quod gaúdeas.
Nímio satiust út opust [*esse*] ita te ésse quám ut animó lubet.
Qui ánimum uincunt quám quos animus sémper probiorés cluent.
LYS. Ístaec ego mi sémper habui aetáti integumentúm meae,
Né penetrarem me úsquam, ubi esset dámni conciliábolum,
Neú noctu irem obámbulatum neú suom adimerem álteri,
Neú tibi aegritúdinem, patĕr,párerem, parsi sédulo.
Sárta tecta túa praecepta usque hábui mea modéstia.
PH. Quíd ĕxprobras bene quód fecisti? tíbi fecisti, nón mihi.
Míhi quidem aetas áctast ferme, túa ĭstuc refert máxume.
Ís probust quem paénitet quam próbŭs sit et frugí bonae.

Qui ípsus sibi satís placet, nec próbus est nec frugí bonae.
Qui ípsus se contémnit, in eost índoles indústriae.
Bénefacta benefáctis aliis pértegito, ne pérpluant.
LYS. Ób eam rem haec, pater, aútumaui, quía res quaedamst quám uolo
Égo me aps te exoráre. PH. Quid id est? dáre iam ueniam géstio.
LYS. Ádulescenti huic génere summo, amíco atque aequalí meo,
Mínŭs qui caute et cógitate suám rem tractauít, pater,
Béne uolo ego illi fácere si tu nón neuis. PH. Nempe dé tuo?
LYS. Dé meo, nam quód tuomst meumst, ómne meumst autém tuom.
PH. Quíd is, egetne? LYS. Egét. PH. Habuitne rem? LYS. Hábuit. PH. Quí eam pérdidit?
Púplicisne adfínis fuit an máritumis negótiis?
Mércaturan' án uenalis hábuit, ubi rem pérdidit?
LYS. Níhil istorum. PH. Quíd igitur? LYS. Per cómitatem edepól, pater.
Praéterea aliquantum ánimi causa in deliciis dispérdidit.
PH. Édepol hominem praémandatum fírme et familiáriter,
Qui équidem nusquam pér uirtutem rém confregit átque eget.
Níl moror eum tíbi ésse amicum cum éiusmodi uirtútibus.
LYS. Quía sine omni málitiast, toleráre egestatem éius uolo.

PH. Dé mendico mále meretur qui eí dat quod edit aút bibat.
Nam ét illud quod dat pérdit et illi pródit uitam ad míseriam.
Nón eo dico haec quín quae tu uis égo uelim et faciám lubens.
Séd ego hoc uerbum quóm illi quoidam díco, praemostró tibi,
Vt ita te aliorúm miserescat né tis alios mísereat.
LYS. Déserere illum et déiuuare in rébus aduorsís pudet.
PH. Pól pudere quám pigere praéstat totidem lítteris.
LYS. Édepol deum uirtúte dicam, páter, et maiorum ét tua
Múlta bona ben párta habemus. béne si amico féceris,
Né pigeat fecísse, ut potius púdeat, si non féceris.
PH. Dé magnis diuítiis siquid démas, plus fit án minus?
LYS. Mínŭs, pater. sed cíui inmuni scín quid cantarí solet?
Quód habes né habeás et illud quod nón habes habeás — malum,
Quándo equidem nec tíbi bene esse póte pati neque álteri.
PH. Scío equidem istuc íta solere fíeri. uerum, gnáte mi,
Ís ĕst inmunis, quoí nihil est qui múnus fungatúr suom.
LYS. Deúm uirtute habémus et qui nósmet utamúr, pater,
Ét aliis qui cómitati símus beneuoléntibus.
PH. Nón edepol tibi pérnegare póssum quicquam quód uelis.
Quoíi egestatém tolerare uís? loquere audactér patri.
LYS. Lésbonico huic ádulescenti, Chármidai filio,

Qui íllic habitat. PH. Quín' comedit quód fuit, quod nón fuit?
LYS. Ne éxprobra, patĕr, múlta eueniunt hómini quae uolt, quaé neuolt.
PH. Méntire edepol, gnáte, atque id nunc fácis haud consuetúdine.
Nám sapiens quidém pol ipsus fíngit fortunám sibi.
EÓ non multa quaé neuolt euéniunt, nisi fictór malust.
LYS. Múltast opera opús ficturae, quí se fictorém probum
Vítae agundae esse éxpetit. sed hic ádmodum adulescéntulust.
PH. Nón aetate, uérum ingenio apíscitur sapiéntia.
Sápienti aetas cóndimentumst, sápiens aetatí cibust.
Ágidum eloquere, quíd dare illi núnc uis? LYS. Nil quicquám, pater.
Tú modŏ ne me próhibeas accípere, siquid dét mihi.
PH. Án eo egestatem eí tolerabis, síquid ab íllo accéperis?
LYS. EÓ, pater. PH. Pol égo ístam uolŏ me rátionem edoceás. LYS. Licet.
Scín tu illum quo génere gnatus sít? PH. Scio, adprimé probo.
LYS. Sóror illist adúlta uirgo grándis. EAM cupió, pater,
Dúcere uxorém sine dote. PH. Síne dote uxóren'? LYS. Ita.
Tuá re salua hoc pácto ab illo súmmam inibis grátiam,
Néque conmodius úllo pacto ei póteris auxiliárier.
PH. Égon' indotatám te uxorem ut pátiar? LYS. Patiundúmst, pater,
Ét eo pacto addíderis nostrae lépidam famam fámiliae.

PH. Múlta ego possum dócta dicta et quámuis facundé loqui.
Hístoriam ueterem átque antiquam haec méa senectus sústinet.
Vérum ego quandǫ te ét amicitiam et grátiam in nostrám domum
Vídeo adlicere, esti áduorsatus tíbi fui, istac iúdico.
Tíbi permittam, pósce, duce. LYS. Dí te seruassínt mihi!
Séd ădde ad istam grátiam unum. PH. Quíd id est autem unum? LYS. Éloquar.
Túte ad eum adeas, tú concilies, túte poscas. PH. Éccere!
LYS. Nímio citius tránsiges, firmum ómne erit quod tu égeris.
Gráuius tuom erit únum uerbum ad eám rem quam centúm mea.
PH. Écce autem in benígnitate hoc répperi negótium!
Dábitur opera. LYS. Lépidus uiuis. haéc sunt aedes, híc habet.
Lésbonicost nómen. age rem cúra, ego te opperiár domi.

II, 3. PH. Non óptuma haec sunt néque ut ego aequom cénseo,
Verúm meliora súnt quam quae detérruma.
Sed hoc únum consolátur me atque animúm meum,
Quia quí nil aliud nísi quod sibi solí placet
Consúlit aduorsum fílium, nugás agit.
Miser éx animo fit, fáctius nihiló facit.
Suaé senĕctuti is ácriorem hiemém parat,
Quom illam ínportunam témpestatem cónciet.
Sed áperiuntur aédes quo ibam. cónmodum
Ipse éxit Lesbonícus cum seruó foras.

LESBONICVS *adulescens*. STASIMVS *seruos*. PHILTO *senex*. II, 4.

LES. Minŭs quíndecim diés sunt, quam pro hisce aédibus
Minás quadraginta áccepisti a Cállicle.
Estne hóc quod dico, Stásime? ST. Quom consídero,
Meminísse uideor fieri. LES. Quid factúmst eo?
ST. *Ex*éssum, expotum, exúnctum, exlutum in bálineis.
Piscátor pistor ápstulit lanií coqui
Holitóres myropolae aúcupes. confít cito.
Non hércle minŭs diuórse distrahitúr cito,
Quam sí tu obicias fórmicis papáuerem.
LES. Minus hércle in istis rébus sumptumst séx minis.
ST. Quid, quód dedisti scórtis? LES. Ibidem uná traho.
ST. Quid quód ego defraudáui? LES. Em, ratio máxumast.
ST. Non tíbi illud adparére, si sumás, potest,
Nisi tu ínmortale rére esse argentúm tibi.
PH. Sero átque stulte, príŭs quod cautum opórtuit,
Postquám comedit rém, post rationém putat.
LES. Nequáquam argenti rátio conparét tamen.
ST. Ratió quidem hercle adpáret: argentum *οἴχεται*.
Minás quadraginta áccepisti a Cállicle
Et ille aédis mancupio áps te accepit? LES. Ádmodum.
PH. Pol opíno adfinis nóster aedis uéndidit.
Patér quom peregre uéniet, in portást locus,
Nisi fórte in uentrem fílio conrépserit.
ST. Trapézitae drachumárum mille Olýmpico
Quas dé ratione déhibuisti, rédditae.
LES. Němpe quás spopondi? ST. 'Quás dependi' immo
ínquito,

Quia spónsionem própter tute exáctus es
Pro illo ádulescente, quém tu esse aibas díuitem.
LES. Factum. ST. Vt quidem illic périerit. LES. Factum íd quoquest.
Nam núnc eúm uidi míserum et me eius míseritumst.
ST. Miserét te aliorum, tuí nec miseret néc pudet.
PH. Tempúst adeundi. LES. Éstne hic Philto qui áduenit?
Is hérclest ipsus. ST. Édepol né ego istúm uelim
Meum fíeri seruom cúm suo pecúlio.
PH. Erum átque seruom plúrumum Philtó iubet
Saluére, Lesbonícum et Stasimum. LES. Dí duint
Tibi Phílto quaequomque óptes. quid agit fílius?
PH. Bene uólt tibi. LES. Edepol mútuom mecúm facit.
ST. Nequam íllud uerbumst 'béne uolt', nisi qui béne facit.
Ego quóque uolo esse líber, nequidquám uolo.
Hic póstulet frugi ésse, nugas póstulet.
PH. Meŭs gnátus me ad te mísit, inter te átque nos
Adfínitatem ut cónciliarem et grátiam.
Tuam uólt sororem dúcere uxorem ét mihi
Senténtia eademst ét uolo. LES. Hau noscó tuom.
Bonís tuis rebus meás res inridés malas.
PH. Homo égo sum, homō tu's. íta me amabit Iúppiter,
Neque té derisum uéni neque dignúm puto.
Verum hóc quod dixi méŭs me orauit fílius
Vt tuám sororem póscerem uxorém sibi.
LES. Mearúm me rerum nóuisse aequomst órdinem.
Cum uóstris nostra nón est aequa fáctio.
Adfinitatem uóbis aliam quaérite.
ST. Satín' tu sanus' méntis aut animí tui,

Qui cóndicionem hanc répudies? nam illúm tibi
Ferĕntárium esse amícum inuentum intéllego.
LES. Abĭn hínc dierecte? ST. Si hércle ire occipiám, uotes.
LES. Nisi quíd uis me aliud, Phílto, respondí tibi.
PH. Benígniorem Lésbonice té mihi,
Quam núnc experior ésse confidó fore.
Nam et stúlte facere et stúlte fabulárier
Vtrúmque Lesboníce in aetate haú bonumst.
ST. Verum hércle hic dicit. LES. Óculum ego ecfodiám tibi,
Si uérbum addideris. ST. Hércle qui dicám tamen.
Nam sí sic non licébit, luscus díxero.
PH. Ita núnc tu dicis nón esse aequiperábilis
Vostrás cum nostris fáctiones átque opes?
LES. Dicó. PH. Quid nunc, si in aédem ad cenam uéneris
Atque íbi opulentus tíbi par forte obuénerit,
Adpósita cena sít popularem quám uocant,
Si illí congestae sínt epulae a cluéntibus,
Siquíd tibi placeat quód illi congestúm siet,
Edísne an incenátus cum opulento ádcubes?
LES. Edím, nisi si ille uótet. ST. At pol ego, estí uotet,
Edim átque ambabus mális expletís uorem
Et quód illi placeat, praéripiam potíssumum.
Neque illí concedam quícquam de uitá mea.
Verécundari néminem apŭd mensám decet.
Nam ibi dé diuinis átque humanis cérnitur.
PH. Rem fábulare. ST. Nón tibi [*id*] dicám dolo.
Decédam ego illi dé uia, de sémita,
De honóre populi, uérum quod ăd uentrem ádtinet,

Non hércle hoc longe, nísi me pugnis uícerit.
Cena hác annonast síne sacris heréditas.
PH. Sempér tu hoc facito Lésbonice cógites,
Id óptumum esse túte uti sis óptumus,
Si id néqueas, saltem ut óptumis sis próxumus.
Nunc cóndicionem hanc quam égo fero et quam aps té peto,
Dare átque accipere Lésbonice té uolo.
Di diuites sunt, deós decent opuléntiae
Et fáctiones, uérum nos homúnculi
Sal íllue animae quómque extemplo emísimus,
Aequó mendicus átque ille opulentíssumus
Censétur censu ad Acheruntem mórtuos.
ST. Mirúm quin tu illo técum diuitiás feras.
Vbi mórtuos sis, íta sis ut nomén cluet.
PH. Nunc út scias hic fáctiones átque opes
Non ésse neque nos tuám neglegere grátiam,
Sine dóte posco tuám sororem fílio.
Quae rés bene uortat! hábeon' pactam? quíd taces?
ST. Pro di inmortales, condicionem quoiusmodi!
PH. Quin fábulare? díc: 'bene uortat! spóndeo'.
ST. Eheú, níl úsus úbi erat dicto 'spóndeo',
Dicébat nunc hic quom ópus est non quit dícere.
LES. Quom adfinitate uóstra me arbitrámini
Dignum, hábeo uobis Phílto magnam grátiam.
Sed si haéc res graniter cécidit stultitiá mea,
Philto, ést ager sub úrbe nobis, eúm dabo
Dotém sorori. nam is de stultítiís meis
Solús superút praéter uitam réliquos.
PH. Profécto dotem níl moror. LES. Certúmst dare.
ST. Nostrámne. ere, uis nutrícem, quae nos éducat,

Abálienare a nóbis? caue sis féceris.
Quid edémus nosmet póstea? LES. Etiam tú taces?
Tibi egó rationem réddam? ST. Plane périimus
Nisi quíd ego conmíniscor. — Philto, té uolo.
PH. Siquíd uis, Stasime — ST. Huc cóncede aliquantúm. PH. Licet.
ST. Arcáno tibi ego hoc díco, ne ille ex té sciat
Neue álius quisquam. PH. Créde audacter quídlubet.
ST. Per deós atque homines díco, ne tu illúnc agrum
Tuom síris umquam fíeri neque gnatí tui.
Ei rei árgumenta dícam. PH. Audire edepól lubet.
ST. Primum ómnium olim térra quom proscínditur,
In quíncto quoque súlco moriuntúr boues.
PH. Apage. ST. Áccheruntis óstium in nostróst agro.
Tum uínum priŭsquam cóctumst pendet pútidum.
LES. Consuádet homini, crédo. etsi sceléstus est.
At mi ínfidelis nón est. ST. Audi cétera.
Postíd, frumenti quom álibi messis máxumast,
Tribŭs tántis illi mínŭs redit quam opséueris.
PH. Em ístíc oportet ópseri morés malos,
Si in ópserendo póssint interfíeri.
ST. Neque úmquam quisquamst, quóius ille agér fuit,
Quin péssume ei res uórterit. quoiúm fuit,
Alii éxolatum abiérunt, alii emórtui,
Alií se suspendére. em nunc hic quóius est
Vt ad íncitas redáctust! PH. Apage a me ístum agrum.
ST. Magis ápage dicas, si ómnia ante audíueris.
Nam fúlguritae súnt alternis árbores.
Sués moriuntur, ánginast acérruma.
Oués scabrae sunt, tám glabrae, em, quamst haéc manus.

Tum autém Surorum génŭs quod patientíssumumst
Hominúm nemo exstat qui íbi sex menses uíxerit.
Ita cúncti solstitiáli morbo décidunt.
PH. Credo égo ĭstuc, Stasime, ita ésse. sed Campáns genus
Multó Surorum iam ántidit patiéntia.
Sed ĭstést agér profécto, ut te audiuí loqui,
Malós in quem omnis púplice mittí decet.
Sicút fortunatórum memorant ínsulas,
Quo cúncti qui aetatem égerint castế suam
Conuéniant, contra istóc detrudi máleficos
Aequóm uidetur, quí quidem istĭus sít modi.
ST. Hospítiumst calamitátis. quid uerbís opust?
Quamuís malam rem quaéras, illic réperias.
PH. At tu hércle et ĭllic et álibi. ST. Cauĕ sis díxeris
Me tíbi dixisse hoc. PH. Díxisti arcanó satis.
ST. Quin hĭc quidem cupit illum áp se abalienárier,
Siquém reperire póssit, quoii os súblinat.
PH. Meŭs quídem hĕrcle numquam fíet. ST. Si sapiés quidem.
Lepide hércle de agro ego hoc húnc senem detérrui.
Nam quí uiuamus níhil est, si illum amíserit.
PH. Redeo ád te Lesboníce. LES. Dic sodés mihi,
Quid hic ést locutus técum? PH. Quid censés? homost.
Volt fíeri liber, uérum quod det nón habet.
LES. Et ego ésse locuples, uérum nequicquám uolo.
ST. Licitúmst si uelles, núnc quom nihil est nón licet.
LES. Quid técum Stasime? ST. De ístoc quod dixtí modo:
Si anté uoluisses, ésses, nunc seró cupis.
PH. De dóte mecum cónueniri níl potest.

Quod tíbi lubet tute ágito cum gnató meo.
Nunc tuám sororem fílio poscó meo.
Quae rés bene uortat! quíd nunc? etiam cónsulis?
LES. Quid istíc? quando ita uis, dí bene uortant! spóndeo.
PH. Numquam édepol quoiquam tam éxpectatus fílius
Gnatúst, quamst illud 'spóndeo' gnatúm mihi.
ST. Di fórtunabunt uóstra consilia. PH. Íta uolo.
LES. Sed Stásime abi huc ad meám sororem ad Cálliclem.
Dic hóc negoti quó modo actumst. ST. Íbitur.
LES. Et grátulator meaé sorori. ST. Scílicet.
PH. I hac Lésbonice mécum ut coram núptiis
Dies cónstituatur. eádem haec confirmábimus.
LES. [*I*]tu, ístuc cura quód [*te*] iussi. ST. Ego iam híc ero.
LES. Dic Cállicli me ut cónuenat. ST. Quin tu í modo.
LES. De dóte ut uideat quíd opus sit facto. ST. Í modo.
LES. Nam cértumst sine dote haú dari. ST. Quin tu í modo.
LES. Neque enimílli damno umquam ésse patiar. — ST. Ábi modo.
LES. Meam néglegentiam. — ST. Í modo. LES. *Ita nunquam* — LES. *Í modo.*
Aequóm uidetur quín quod peccarim — ST. Í modo.
LES. Potíssumum mihi id ópsit. ST. I modo. LES. Ó pater,
En úmquam aspiciam te? ST. Í modo, i modo, í modo. —
Tandem ínpetraui abíret, di uostrám fidem!
Edepól re gesta péssume gestám probe,

Si quídem ager nobis sáluos est, esti ádmodum
In ámbiguost etiámnunc quid ea ré fuat.
Si id álienatur, áctumst de colló meo.
Gestándust peregre clúpeus galea sárcina.
Ecfúgiet ex urbe, úbi erunt factae núptiae.
Ibo ístac aliquo in máxumam malám crucem,
Latrócinatum aut ín Asiam aut in Cíliciam. —
Ibo húc quo mi inperátumst etsi odi hánc domum,
Postquam éxturbauit híc nos nostris aédibus.

ACTVS III.

CALLICLES *senex.* STASIMVS *seruos.*

CAL. Quómodŏ tu istuc, Stásime, dixti? ST. Nóstrum erilem fílium
Lésbonicum suám sororem déspo*pon*disse, hóc modo.
CAL. Quoí homini despóndit? ST. Lysitelí, Philtonis fílio,
Síne dote. CAL. Sine dóte ille illam in tántas diuitiás dabit?
Nón credibile díces. ST. At tu núllus edepol créduas.
Si hóc non credis, égo credidero — CAL. Quíd? ST. Me nihili péndere.
CAL. Quámdudum istuc aút ubi actumst? ST. Ílico hic ante óstium.
Támmodo, inquit Praénestinus. CAL. Tánton' in re pérdita
Quam ín re salua Lésbonicus fáctus est frugálior?

ST. Átque equidem ipsus últro uenit Phílto oratum fílio.
CAL. Flágitium quidem hércle fiet, nísi dos dabitur uírgini.
Póstremo edepol égo ĭstam rem ad me *pér*tinere intéllego.
Íbo ad meum castígatorem atque áb eo consiliúm petam.
ST. Própemodum quid íllic festinet séntio et subolét mihi.
Út agro euortat Lésbonicum, quándo euortit áédibus.
Ó ere Charmidé, quom apsenti hic túa res distrahitúr tibi,
Útinam te redísse saluom uídeam, ut inimicós tuos
Úlciscare et míhi, ut erga te fui ét sum, referas grátiam.
Nímium difficilést reperiri amícum ita ut nomén cluet
Quoí tuam quom rém credideris, síne ŏmni cura dórmias.
Séd generum nostrum íre ecillum uídeo cum adfíni suo.
Néscio quid non sátis inter eos cónuenit. celerí gradu
eúnt uterque, illé reprehendit húnc priorem pállio.
Haúd ineuscheme ádstiterunt. húc aliquantum apscéssero.
Ést lubido orátionem audíre duorum adfínium.

LYSITELIS, LESBONICVS *adulescentes*. STASIMVS *seruos*. III, 2.

LYS. Sta ílico, noli áuorsari néque te occultassís mihi.
LES. Pótin' ut me ire quód profectus súm sinas? LYS. Si in rém tuae
Lésbonice essé uideatur glóriae aut famaé, sinam.

LES. Quód ĕst facillumúm facis. LYS. Quid id ést? LES. Amico iniúriam.
LYS. Néque meumst neque fácere didici. LES. Indóctus quam docté facis!
Quíd faceres, siquís docuisset te út sic odio essés mihi?
Béne quom simulas fácere mihi te, mále facis, male cónsulis.
LYS. Égone? LES. Tu ne. LYS. Quíd male facio? LES. Quód ego nolo id quóm facis.
LYS. Tuaé rei bene consúlere cupio. LES. Tú mi's melior quam égo mihi?
Sát sapio, satis ín rem quae sint méam ego conspició mihi.
LYS. Án id est sapere, ut quí benficium a béneuolente répudies?
LES. Núllum benficium ésse duco id quód quoi facias nón placet.
Scío ego et sentio ípse quid agam néque mens offició migrat.
Néc tuis depéllar dictis quín rumori séruiam.
LYS. Quíd ais? nam retinéri nequeo quín dicam ea quae prómeres.
Ítăn' tandem hanc maióres famam trádiderunt tíbi tui,
Vt uirtute eorum ánteperta pér flagitium pérderes
Atque honori pósterorum tuórum ut uindex fíeres?
Tíbi paterque auósque facilem fécit et planám uiam
Ád quaerundum honórem, tu fecísti ut difficilís foret
Cúlpa maxume ét desidia tuísque stultis móribus.
Praeóptauisti amórem tuom uti uírtuti praepóneres.

Núnc te hoc pacto crédis posse optégere errata? ah nón itast.
Cápe sis uirtutem ánimo et corde expélle desidiám tuo.
Ín foro operam amícis da, ne in léctu amicae ut sólitus es.
Átque istum ego agrum tíbi relinqui ob eám rem denixe éxpeto,
Vt tibi sit qui té conrigere póssis, ne omnino ínopiam
Cíues obiectáre possint tíbi quos tu inimicós habes.
LES. Ómnia ego ĭstaec quaé tu dixti sció, uel exignáuero,
Vt rem patriam et glóriam maiórum foedarím meum.
Scíbam ut esse mé deceret, fácere non quibám miser.
Íta ui Veneris uínctus, otio áptus in fraudem íncidi.
Ét tibi nunc proinde út merere súmmas habeo grátias.
LYS. Át operam períre meam sic ét te haec corde spérnere
Pérpeti nequeó simul me pígĕt parum pudére te.
Ét postremo, nísi mi auscultas átque hoc ut dicó facis,
Túte pone té latebis fácile ne inueniát te honor.
Ín ŏcculto iacébis quom te máxume clarúm uoles.
Pérnoui equidem Lésbonice ingénium tuom ingenuom ádmodum.
Sció te sponte nón tuapte errásse sed amorém tibi
Péctus opscurásse atque ipse amóris teneo omnís uias.
Ítăst amor, ballísta ut iacitur, níl sic celerest néque uolat.
Átque is mores hóminum moros ét morosos éfficit.
Mínŭs placet magĭs quód suadetur, quód dissuadetúr placet.

Quom ínopiast cupiás, quando eius cópiast tum nón uelis.
Ílle qui aspellit ís conpellit, ílle qui consuadét uotat.
Ínsanumst *id* málum in hospitium déuorti ad cupídinem.
Séd te moneo hoc étiam atque etiam ut réputes quid facere éxpetas.
Sí ĭstuc *te agere* fácis indicium, [*tú*] tuom incendés genus.
Tum ígitur tibi aqua erít cupido, génŭs qui restinguás tuom.
Átque si eris nánctus, proinde ut córde amantes súnt cati,
Né scintillam quídĕm relinques, génŭs qui congliscát tuom.
LES. Fácilest inuentú. datur ignis tam étsi ab inimicó petas.
Séd tu obiurgans me á peccatis rápĭs deteriorem ín uiam.
Meám sororem tíbi dem suades síne dote. ah, non cónuenit
Mé qui abusus súm tantam rem pátriam porro in dítiis
Ésse agrumque habére, egere illam aútem, ut me merito óderit.
Númquam alienis gráuĭs erit qui suís se concinnát leuem.
Sícut dixi fáciam, nolo té iactari diútius.
LYS. Tánto meliust té sororis caúsa egestatem éxsequi
Átque eum agrum me habére quam te, túa qui toleres moénia!
LES. Nólo ego mihi te tám prospicere quí meam egestatám leues,

Séd ut inops infámis ne sim, né mi hanc famam dífferant
Mé germanam meám sororem in cóncubinatúm tibi,
Sí sine dote [*dém*], dedisse mágis quam in matrimónium.
Quís me inprobior pérhibeatur ésse? haec famiferátio
Té honestet, me cónlutulentet, sí sine dote dúxeris.
Tíbi sit emoluméntum honoris, míhi quod obiectént siet.
LYS. Quíd? te dictatórem censes fóre, si aps té agrum accéperim?
LES. Néque uolo neque póstulo neque cénseo, uerúm tamen
Ís ĕst honos hominí pudico méminisse officiúm suom.
LYS. Scío equidem te animátus ut sis, uídeo subolet séntio.
Íd agis ut ubi adfínitatem intér nos nostram adstrínxeris
Átque eum agrum dederís nec quicquam hic tíbi sit qui uitám colas,
Écfugias ex úrbe inanis, prófugus patriam déseras
Cógnatos adfínitatem amícos factis núptiis.
Méa opera hinc protérritum te meáque auaritia aútument.
Íd me conmissúrum ut patiar fíeri ne animum indúxeris.
ST. Nón enĭm possum quín exclamem: euge, eúge Lysitelís, *πάλιν!*
Fácile palmam habés, hic uictust, uícit tua comoédia.
Híc agit magis ex árgumento et uérsus melioris facit.
Étiam ob stultitiám tuam te túĕris? multabó mina.
LES. Quíd tibi ĭnterpellátio aut in cónsilium huc accéssiost?
ST. Eódem pacto quo húc accessi apséssero. LES. I hac mecúm domum

Lýsitelis, ibi de ístis rebus plúra fabulábimur.
LYS. Níl ego in occulto ágere soleo. méus ut animust éloquar.
Sí mihi tua sorór ut ego aequom cénseo ita nuptúm datur
Síne dote neque tu hínc abiturus', quód meum erit id erít tuom.
Sín aliter animátus es, bene quód agas eueniát tibi.
Égo amicus numquám tibi ero alio pácto. sic senténtiast.
ST. Ábĭt hercle ille quidem. écquid audis, Lýsitelis? ego té uolo.
Hĭc quoque hinc abiit. Stásime, restas sólus. quid ego núnc agam
Nísi uti sarcinám constringam et clúpeum ad dorsum adcómmodem,
Fúlmentas iubeám suppingi sóccis? non sistí potest.
Vídeo caculam mílitarem mé futurum haud lóngius.
Átque aliquem ad regem ín saginam erŭs sí se coniexít meus,
Crédo ad summos béllatores ácrem fugitorém fore,
Ét capturum spólia ibi illum quí ero aduorsus uénerit.
Égomet autem quom éxtemplo árcum et pháretram et sagĭttas súmpsero,
Cássidem in capút, dormibo plácide in taberináculo.
Ád forum ibo. núdius sextus quoí talentum mútuom
Dédĭ reposcam ut hábeam mecum quód feram uiáticum.

MEGARONIDES CALLICLES *senes.* III, 3.

MEG. Vt míhi rem narras, Cállicles, nulló modo
Pote fieri prosus quín dos detur uírgini.
CAL. Namque hércle honeste fieri ferme nón potest
Vt eám perpetiar íre in matrimónium
Sine dóte, quom eius rém penes me habeám domi.
MEG. Paráta domi dos ést, nisi expectáre uis
Vt eám sine dote fráter nuptum cónlocet.
Post ádeas tute Phíltonem et dotém dare
Te ei dícas, facere id eius ob amicitiám patris.
Verum hóc ego uereor ne ístaec pollicitátio
Te in crímen populo pónat atque infámiam.
Non témere dicant té benignum uírgini,
Datám tibi dotem ei quám dares eius á patre,
Ex eá largiri te ílli, neque ita ut sít data
Incólumem sistere ílli et detraxe aútument.
Nunc si ópperiri uís aduentum Chármidis,
Perlóngumst. huic ducéndi interea apscésserit
Lubído, atque ea condício huic uel primáriast.
CAL. Nam hercle ómnia istaec uéniunt in mentém mihi.
Vidĕ si hóc utibile mágis atque in rem députas,
Ut ádeam Lesbonícum, edoceam ut rés se habet.
Sed ut égo nunc adulescénti thensaurum índicem
Indómito, pleno amóris ac lascíuiae?
MEG. Minumé! CAL. Minume hercle uéro! nam certó scio,
Locúm quoque omnem illum úbi situst coméderit,
Quem fódere metuo sónitum ne ille exaúdiat
Neu rem ípsam indaget, dótem dare si díxerim.

Quo pácto ergo igitur clám dos depromí potest?
MEG. Dum occásio ei rei réperiatur, ínterim
Ab amíco alicunde mútuom argentúm roges.
Potin ést ab amico alicúnde exorarí? CAL. Potest.
MEG. Gerraé! ne tu illud uérbum actutum inuéneris:
'Mihí quidem hercle nón est quod dem mútuom.
Malim hércle ut uerum dícas quam ut des mútuom.'
Sed uíde consilium sí placet. CAL. Quid cónsilist?
MEG. Scitum út ego opinor cónsilium inuení. CAL. Quid est?
MEG. Homo cónducatur áliquis iam quantúm potest,
Quasi sít peregrinus. CAL. Quíd ïs scit facere póstea?
MEG. Is homo éxornetur gráphice in peregrinúm modum,
Ignóta facies, quaé non uisitáta sit.
Mendácilocum aliquem *est úsus hominem cállidum*
Falsídicum confidéntem. CAL. Quid tum póstea?
MEG. Quasi ád adulescentem á patre ex Seleúcia
Veniát, salutem ei núntiet uerbís patris.
Illúm bene gerere rem ét ualere et uíuere
Et eúm rediturum actútum. ferat epístulas
Duas, eás nos consignémus quasi sint á patre.
Det álteram illic, álteram dicát tibi
Dare sése uelle. CAL. Pérge porro dícere.
MEG. Seque aúrum ferre uírgini dotem á patre
Dicát patremque id iússisse aurum tíbi dare.
Tenés iam? CAL. Propemodo, átque ausculto pérlubens.
MEG. Tum tu ígitur demus ádulescenti aurúm dabis
Vbi erít locata uírgo in matrimónium.
CAL. Scite hércle sane! MEG. Hoc, úbi thensaurum ecfóderis,

Suspícionem ab ádulescente amóueris.
Censébit aurum esse á patre adlatúm tibi,
Tu dé ṭhensauro súmes. CAL. Satīs scite ét probe!
Quamquam hóc me aetatis sycophantarí pudet.
Sed epístulas quando ópsignatas ádferet,
Non árbitraris éum adulescentem ánuli
Patérni signum nóuisse? MEG. Etiam tú taces?
Sescéntae ad eam rem caúsae possunt cónligi.
[Illum quem habuit perdidit, alium post fecit nouom.]
Iam si ópsignatus nón feret, dici hóc potest
Apŭd pórtitores eás resignatás sibi
Inspéctasque esse. in huius modi negótio
Diém sermone térere segnitiés merast.
Quamuís sermones póssunt longi téxier.
Abi ád thensaurum iám confestim clánculum.
Seruós, ancillas ámoue. atque audín? CAL. Quid est?
MEG. Vxórem quoque eampse hánc rem uti celés face.
Nam pól tacere númquam quicquamst quód queat.
Quid núnc stas? quin tu hunc ámoues et te *ád*moues?
Aperí, deprome inde aúri ad hanc rem quód sat est.
Operí continuo dénuo, sed clánculum.
Sicút praecepi cúnctos exturba aédibus.
CAL. Ita fáciam. MEG. At nimīs *iam* lóngo sermone útimur.
Diém conficimus, quód iam properatóst opus.
Nihil ést de signo quód uereare. mé uide.
Lepidást haec causa, ut cónmemoraui, dícere
Apŭd pórtitores ésse inspectas. dénique
Diéi tempus nón uides? quid illúm putas
Natúra illa atque ingénio? iam dudum ébriust.

Quidúis probare póterit. tum, quod máxumist,
Adférre, non se pétere hic dicet. CAL. Iám sat est.
MEG. Ego sýcophantam iám conduco dé foro
Epístulasque iám consignabó duas
Eumque húc [*ad*] adulescéntem meditatúm probe
Mittam. CAL. Éo ego [*ergo*] igitur íntro ad officiúm meum.
Tu istúc age. MEG. Actum réddam nugacíssume.

ACTVS IV.

CHARMIDES *senex.*

Salsípotenti et multípotenti Iouïs frátri Neptuno ét Nerei
Laetŭs lubens laudes ágo ĕt grates gratiásque habeo et fluctíbŭs salsis,
Quos pénĕs *fuerat summá* potestas, bonïs meís quid forĕt et meaé uitae,
Quom suís me ex locïs in pátriam urbem *saluom íncolumem* reducém faciunt.
Atque égo Neptune tibi ánte alios deos grátias ago ătque habeó summas,
Nam te ómnes saeuomqué seuerumque atque áuidis moribŭs cónmemorant
Spurcíficum inmanem intólerandum uesánum, contra opera éxpertus.

Nam pól placido te et clémenti meo ŭsqué modo ut uolui usŭs sum in alto.
Atque hánc tuam gloriam iam aúribus ante accéperam
ĕt nobilĕst ápud homines
Paupéribus te parcére solitum, ditís damnare atqué domare.
Abĭ laúdo, scis ordíne ut aequomst tractáre homines. hoc dís dignumst.
[Semper mendicis modesti sint]
Fidŭs fuisti, infidum ésse iterant. nam apsqué foret te, sat scío in alto
Distráxissent disqué tulissent satĕllítĕs tui me miserúm foede
Bonaque ómnia item una [*méa*] mecum passím caeruleos pér campos.
Ita iám quasi canĕs haud sécŭs circumstabánt nauem turbínĕs uenti.
Imbrés fluctusque atqué procellae [*ferri*] ínfense, frangére malum,
Ruere ántemnas, scindére uela, ni túa pax propitia fórĕt praesto.
Apage á me sis! dehinc iám certumst otió dare me. satis pártum habeo.
Quibus aérumnis delúctaui, filió dum diuitiás quaero!
Sed quís hic est qui in plateam íngreditur cum nóuo ŏrnatu speciéque simul?
Pol quámquam domĭ cupio ópperiar. quam hic rém gerat, animum aduórtam.

IV, 2. SYCOPHANTA. CHARMIDES *senex.*

SYC. Huíc ego die nomén Trinummo fácio. nam ego operám meam
Tríbŭs nummis hodié locaui ad ártis naugatórias.
Áduenio ex Seleúcia Macédonia Asia atque Árabia,
Quás ego neque oculís neque pedibus úmquam usurpauí meis.
Víděn egestas quíd negoti dát homini miseró mali?
Quín ego nunc subigór trium nummum caúsa ut has epístulas
Dícam ab eo homine me áccepisse, quem égo qui sit homo néscio
Néque noui neque gnátus necne is fúerit id solidé scio.
CH. Pól hĭc quidem fungíno generest, cápite se totúm tegit.
Híllurica faciés uidetur hóminis. EO ornatu áduenit.
SYC. Ílle qui me condúxit, ubi condúxit, abdúxit domum.
Quaé uoluit mihi díxit docuit ét praemonstrauít prius,
Quómodŏ quicque agerém. nunc adeo síquid ego addidero ámplius,
EÓ conductor mélius de me nógas conciliáuerit.
Vt ílle me exornáuit, ita sum ornátus. argentum hóc facit.
Ípse ornamenta á chorago haec súmpsit SUO perículo.
Núnc ego si potero órnamentis hóminem circumdúcere,
Dábo operam ut me esse ípsum plane sýcophantam séntiat.

CH. Quám magis specto, mínŭs placet mi haec hóminis facies. míra sunt
Ni íllic homost aut dórmĭtator aút sector zonárius.
Lóca contemplat, círcumspectat sése atque aedis nóscitat.
Crédo edepol quo móx furatum uéniat speculatúr loca.
Mágis lubidost ópseruare quíd agat. ei rei operám dabo.
SYC. Hás regiones démonstrauit míhi ille conductór meus.
Ápud illas aedís sistendae míhi sunt sycophántiae.
Fórĕs pultabo. CH. Ad nóstras aedis hĭc quidem habet rectám uiam.
Hércle opinor mi áduenienti hac nóctu agitandumst uígilias.
SYC. Áperite hoc, aperíte. heus, ecqui his fóribus tutelám gerit?
CH. Quíd adulescens quaéris? quid uis? quíd istas pultas? SYC. Ém, senex,
Cénsus quom [*sum*], iúratori récte rationém dedi.
Lésbonicum hic ádulescentem quaéro, in his regiónibus
Vbi habitet, et item álterum ad ĭstanc cápitis albitúdinem,
Cálliclen aibát uocari qui hás mi dedit epístulas.
CH. Meúm gnatum hĭc quidem Lésbonicum quaérit et amicúm meum
Quoí ego liberósque bonaque cónmendaui Cálliclem.
SYC. Fác me si scis cértiorem hisce hómines ubi habitént, pater.
CH. Quíd eos quaeris? aút quis es? aut únde es? aut unde áduenis?

SYC. Múlta simul rogás. nescio quid éxpediam potís-
sumum.
Si únum quidquid síngillatim et plácide percontábere,
Ét meum nomen ét mea facta et ítinera ego faxó scias.
CH. Fáciam ita ut uis. ágedum nomen mémora mihi
primúm tuom.
SYC. Mágnum facinus íncipissis pétere. CH. Quid ita?
SYC. Quía, pater,
Si ánte lucem ire [*hércle*] occipias á meo primo nómine,
Cóncubium sit nóctis priŭsquam ad póstremum peruéneris.
CH. Opŭs *cap*tost uiático ad tuom nómen, ut tu praédicas.
SYC. Ést minusculum álterum quasi *líxiui* uinárium.
CH. Quíd tibi nomen ést adulescens? SYC. 'Páx', id
est nomén mihi.
Hóc cotidiánumst. CH. Edepol nómen nugatórium!
Quási dicas, siquíd crediderim tíbi, pax periisse ílico. —
Híc homo solide sycophantast! — Quíd ais tu, adulescéns? SYC. Quid est?
CH. Éloquere, isti tíbi quid homines débent quos tu
quaéritas?
SYC. Páter istius ádulescentis dédit has duas mi epístulas,
Lésbonici. is míst amicus. CG. Téneo hunc manufestárium.
Mé sibi epistulás dedisse dícit. ludam hominém probe.
SYC. Íta ut occepi, si ánimum aduortas, dícam. CH.
Dabo operám tibi.
SYC. Hánc me iussit Lésbonico suó dare gnato epístulam
Ét item hanc alterám suo amico Cállicli iussít dare.

CH. Míhi quoque edepol, quom híc nugatur, cóntra nugarí lubet.
Vbi ípse erat? SYC. Bene rém gerebat. CH. Érgo ubi? SYC. In Seleúcia.
Áb ipson istas áccepisti? SYC. E mánibus dedít mi ipse ín manus.
CH. Quá faciest homó? SYC. Sesquipede quíddamst quam tu lóngior.
CH. Haéret haec res, si équidem ego apsens súm quam praesens lóngior.
Nóuistin hominém? SYC. Ridicule rógitas, quicum unā cibum
Cápere soleo. CH. Quíd ĕst ei nomen? SYC. Quód edepol hominí probo.
CH. Lúbet audire. SYC. Illi édepol — illi — illi — [*illi*] — uae miseró mihi!
CH. Quíd ĕst negoti? SYC. Déuoraui nómen inprudéns modo.
CH. Nón placet qui amícos intra déntes conclusós habet.
SYC. Átque etiam modo uórsabatur mi ín labris primóribus.
CH. Témperi huic hodie ánteueni. SYC. Téneor manufestó misér.
CH. Iám reconmentátus' nomen? SYC. Deum hércle me atque hominúm pudet.
CH. Víde homo ut hominem nóueris. SYC. Tam quám me. fieri istúc solet.
Quód ĭn manu teneás atque oculis uídeas, id desíderes.
Litteris recónminiscar. [*Cá*] 'st principium nómini.
CH. Cállias? SYC. Non ést. CH. Callippus? SYC. Nón est. CH. Callidémides?

SYC. Nón est. CH. Callinícus? SYC. Non est. CH. Cállimarchus? SYC. Níl agis.
Néque adeo edepol flócci facio quándo egomet meminí mihi.
CH. Át enim multi Lésbonici súnt hic. nísi nomén patris
Díces, non possum ístos monstrare hómines quos tu quaéritas.
Quód ad exemplumst? cóniectura sí reperire póssumus.
SYC. Ád hoc exemplumst, ád 'Chares', ad 'Chármenes'. CH. Num Chármides?
SYC. Ém istic erit. qui istúm di perdant! díxi ego iam dudúm tibi.
CH. Té potius bene dícere aequomst hómini amico quám male.
SYC. Sátin inter labra átque dentis látuit uir minumí preti!
CH. Né male loquere apsénti amico. SYC. Quíd ille ergo ignauíssumus
Mí latitabat? CH. Si ádpellasses, réspondisset nómini.
Séd ipse ubist? SYC. Pol illúm reliqui ad Rhádamantem in Cercópio.
CH. Quí homost me insipiéntior qui ipse égomet ubi sim quaéritem?
Séd nil disconfúcit huic rei. quíd ais? quid hŏc quod té rogo?
Quós locos adiísti? SYC. Nimium mírimodis mirábiles.
CH. Lúbet audire, nísi molestumst. SYC. Quín discupio dícere.
'Omnium primum ín Pontum aduecti Árabiam terrám sumus.

CH. Eho, án etiam Arabiást in Ponto? SYC. Est. nón illa ubi tus gígnitur,
Séd ubi apsinthiúm fit atque cúnila gallinácea.
CH. Nímium graphicum hunc núgatorem! séd ego sum insipiéntior,
Qui égomet unde rédeam hunc rogitem, quae égo sciam atque hic nésciat,
Nísi quia lubet éxperiri quo éuasurust dénique.
Séd quid ais? quo inde ísti porro? SYC. Si ánimum aduortes, éloquar.
Ád caput amnis quí de caelo exóritur sub solió Iouis.
CH. Súb solio Iouís? SYC. Ita dico. CH. E caélo? SYC. Atque e medió quidem.
CH. Eho, án etiam in caelum éscendisti? SYC. Immo hóriola aduectí sumus
Vsque aqua aduorsá per amnem. CH. Eho an tu étiam uidistí Iouem?
SYC. Álii di isse ad uíllam aiebant séruis depromptúm cibum.
Deínde porro — CH. Deínde porro nólo quicquam praédices.
SYC. [*Táce*]o hercle, etsi itást. CH. Molestus', nám pudicum néminem
[*Énarr*]are opórtet qui aps terra ád caelum peruénerit.
SYC. [*Fácia*]m ita ut te uélle uideo. séd monstra hosce hominés mihi
Quós ego quaero, quíbŭs me oportet hás deferre epístulas.
CH. Quíd ais? tu nunc sí forte eúmpse Chármidem conspéxeris

Íllum quem tibi ístás dedisse cónmemoras epístulas,
Nórisne hominem? SYC. Né tu me edepol árbitrare béluam,
Quí quidĕm non nouísse possim quícum aetatem exégerim.
Án ille ita esset stúltus qui mihi mílle nummum créderet
Phílippum, quod me aurúm deferre iússit ad gnatúm suom
Atque ad amicum Cálliclem quoi rem aíbat mandasse híc suam?
Míhi concrederét, ni me illic ét ego illum nossem ádprobe?
CH. Énimuero ego nunc sýcophantae huic sýcophantarí uolo,
Si húnc possum illo mílle nummum Phílippum circumdúcere,
Quód sibi me dedísse dixit, quem égo qui sit homo néscio
Néque oculis ante húnc diem umquam uídi, eine aurum créderem?
Quoí si capitis rés sit nummum númquam credam plúmbeum.
Ádgrediundust híc homo mi astu. heus, Páx, te tribŭs uerbís uolo.
SYC. Vél trecentis. CH. Háběn tu id aurum, quód ăccepisti a Chármide?
SYC. Átque etiam Philippúm, numeratum illíus in mensá manu,
Míle nummum. CH. Némpe ab eopse id áccepisti Chármide?

SYC. Mírum quin ab auo eíus aut proauo accíperem qui sunt mórtui!
CH. Ádulescens, cedodum ístuc aurum mí. SYC. Quod ego aurum dém tibi?
CH. Quód ă me te accepísse fassus'. SYC. Áps te accepisse? CH. Íta loquor.
SYC. Quís tu homo's? CH. Qui mílle nummum tíbi dedi, ego sum Chármides.
SYC. Néque edepol tu is és neque hodie is úmquam eris, auro huíc quidem.
Ábĭ sis, nugatór. nugari núgatori póstulas.
CH. Chármides ego súm. SYC. Nequiquam hercle és. nam nihil aurí fero.
Nímis argutus', óbrepsisti in eápse occasiúncula.
Póstquam ego me aurum férre dixi, póst tu factus' Chármides.
Príŭs tu non es quam aúri feci méntionem. níl agis.
Proîn tute itidem ut chármidatus', rúrsum [*te*] dechármida.
CH. Quís ego sum igitur, si équidem is non sum quí sum? SYC. Quid id ad me áttinet?
Dúm ille ne sis quem égo ĕsse nolo, sís mea causa quí lubet.
[Príŭs non is eras quí eras, nunc is fáctus' qui tum nón eras.]
CH. Áge siquid agis. SYC. Quíd ego agam? CH. Aurum rédde. SYC. Dormitás, senex.
CH. Fássus' Charmidém dedisse aurúm tibi. SYC. Scriptúm quidem.
CH. Próperas an non próperas ire actútum ab his regiónibus,

Dórmitator, príŭsquam ego hic te iúbeo mulcarí male?
SYC. Quam ób rem? CH. Quia illum quem émentitus
és, ego sum ipsus Chármides,
Quém tibi epistulás dedisse aiébas. SYC. Eho, quaeso,
án tu is es?
HC. Ís enim uero sum. SYC. Aín tu tandem? is ípsun
es? CH. Aio. SYC. Ípsun es?
CH. Ípsus, inquam, Chármides sum. SYC. Ergo ípsun
es? CH. Ipsíssumus.
Ábin hinc ab oculís? SYC. Enímuero sérior quoniam
áduenis,
Meo árbitratu uápulabis ét nouorum aedílium.
CH. Át etiam maledícis! SYC. Immo, sáluos quando
equidem áduenis,
Dí me perdant sí te flocci fácio an periissés prius.
Égo ob hanc operam argéntum accepi, té macto infor-
túnio.
Céterum qui sís, qui non sis, flóccum non intérduim.
Íbo ad illum renúntiabo, quí mihi tris nummós dedit
Vt sciat se pérdidisse. ego ábeo. male uiue ét uale! —
Quí di te omnes áduenientem péregre perdant, Chár-
mides!
CH. Postquam ílle hinc abiit, póst loquendi líbere
Vidétur tempus uénisse atque occásio.
Iam dúdum meum ille péctus pungit áculeus,
Quid illí negoti fúerit ante aedís meas.
Nam epístula illa míhi concenturiát metum
In córde et illud mílle nummum quám rem agat.
Numquam édepol temere tínnit tintinnábulum.

Nisi qui íllud tractat aút mouet, mutúmst, tacet.
Sed quís hic est qui huc in pláteam cursuram íncipit?
Lubet ópseruare quíd agat. huc concéssero.

STASIMVS *seruos.* CHARMIDES *senex.* IV, 3.

ST. Stásime, fac te própere celerem, récipe te ad dominúm domum,
Né subito metus éxoriatur scápulis stultitiá [*tua*].
Ádde gradum, adproperá. iam dudum fáctumst quom abiistí domo.
Cáuĕ sis tibi ne búbuli in te cóttabi crebrí crepent,
Si áberis ab eri quaéstione. né destiteris cúrrere!
Écce hominem te Stásime, nihili! sátin in thermipólio
Cóndalium es oblítus, postquam thérmopotasti gúturem!
Récipe te et recúrre petere [*ré*] recenti. CH. Huic, quísquis est,
Gúrguliost exércitōr, is hŭnc hóminem cursurám docet.
ST. Quíd, homo nihili, nón pudet te? tríbŭsne te potériis
Mémoriae esse oblítum? an uero, quía*ne* cum frugi hóminibus
Íbi bibisti, qui áb alieno fácile cohiberént manus?
Tróchŭs fuit Creconícus Crínnus Cérdobulus Cóllabus,
Óculistrepidae crúricrepidae férriteri mastígiae.
Ínter eosne hominés condalium té redipisci póstulas?

Quórum eorum unus súrpuerit currénti cursorí solum.
CH. Íta me dī ament, gráphicum furem. ST. Quíd ego quod periít petam?
Nísi etiam labórem ad damnum adpónam ἐπιθήχην ínsuper.
Quín tu quod periít periisse dúcis? cape uorsóriam.
Récipe te ad erum. CH. Nón fugitiuost híc homo, conmeminít domi.
ST. Vtinam ueteres hómin[*um mor*]es, uéteres parsimóniae
Pótius [*in*] maióre honore hic éssent quam morés mali.
CH. Di ínmortales, básilica hīc quidem fácinora inceptát loqui.
Vétera quaerit, uétera amare hunc móre maiorúm scias.
ST. Nám nunc mores níhili faciunt quód licet nisi quód lubet.
Ámbitio iam móre sanctast, líberast a légibus.
Scúta iacere fúgereque hostis móre habent licéntiam.
Pétere honorem pró flagitio móre fit. CH. Morem ínprobum!
ST. Strénuos praetér*uide*re móre fit. CH. Nequám quidem!
ST. Móres leges pérduxerunt iam ín potestatém suam,
Mágisque *is* sunt obnóxiosae quám parentes líberis.
Ét miserae etiam ad párietem sunt fíxae clauis férreis,
Vbi malos morés adfigi nímio fuerat aéquius.
CH. Lúbet adire atque ádpellare hunc, uérum ausculto pérlubens
Ét metuo si cónpellabo ne áliam rem occipiát loqui.

ST. Néque ĭstis quicquam lége sanctumst, léges mori séruiunt,
Móres autem rápere properant quá sacrum qua públicum.
CH. Hércle istis malám rem magnam móribus dignúmst dari.
ST. Nón hoc publice ánimum aduorti! nam hóminum genus id ómnibus
Vniuorsis ést aduorsum atque ómni populo mále facit.
Mále fidem seruándo illis quoque ábrogant etiám fidem,
Quí nil meriti. quíppe ex eorum ingénio ingenium horúm probant.
Hóc qui in mentem uénerit mihi, re ípsa modo commónitŭs sum.
Síquoi mutuóm quid dederis, fít pro proprio pérditum.
Quóm repetas, inimícum amicum bénficio inueniás tuo.
Sí mage ĕxigere occípias, duarum rérum exoritur óptio.
Vél illud quod credíderis perdas uél illum amicum amíseris.
CH. Méus est hĭc quidem Stásimus seruos. ST. Nam égo talentum mútuom
Quoí dederam, talénto inimicum mi émi, amicum uéndidi.
Séd ego sum insipiéntior qui rébus curem púplicis
Pótius quam id quod próxumumst meo térgo tutelám geram.
EÓ domum. CH. Heus tu, asta ílico, audin? heús tu! ST. Non sto. CH. Té uolo.
ST. Quíd, si egomet te uélle nolo? CH. Ah nímium Stasime saéuiter!

ST. Émere meliust quoi ínperes. CH. Pol ego émi atque argentúm dedi.
Séd si non dicto aúdiens est, quíd ago? ST. Da magnúm malum.
CH. Béne mones. ita fácere certumst. ST. Nísi quidem es obnóxius.
CH. Sí bonus es obnóxius sum, sín secus es faciam út iubes.
ST. Quíd id ad me attinét bonisne séruis tu utare án malis?
CH. Quía boni malíque in ea re párs tibist. ST. Partem álteram
Tíbi permitto, illam álteram apŭd me quód bonist adpónito.
CH. Sí eris meritus, fíet. respice ád me huc. ego sum Chármides.
ST. Ém, quis est qui méntionem fácit homo hominis óptumi?
CH. Ípse homo optumús. ST. Mare terra caélum di uostrám fidem!
Sátin ego oculis pláne uideo? estne ípsus an non ést? — is est.
Cérte is est. is ést profecto. o mí ere exoptatíssume,
Sálue. CH. Salue, Stásime. ST. Saluom té — CH. Scio et credó tibi.
Séd omitte alia, hoc míhi responde. líberi quid agúnt mei
Quós reliqui hic fílium atque fíliam? ST. Viuónt ualent.
CH. Némpe uterque? ST. Vtérque. CH. Di me sáluom et seruatúm uolunt.
Cétera intus ótiosse pércontabor quaé uolo.
Eámus intro. séquere. ST. Quo tu té agis? CH. Quonam nísi domum?

ST. Hícin nos habitáre censes? CH. Vbinam ego alibi cénseam?
ST. Iám — CH. Quid iam? ST. Non súnt nostrae aedis ístae. CH. Quid ego ex te aúdio?
ST. Véndidit tuos gnátus aedis. CH. Périi. ST. Praesentáriis
Árgenti minís numeratis. CH. Quót? ST. Quadraginta. CH. Óccidi.
Quís eas emit? ST. Cállicles, quoi tuám rem conmendáueras.
Ís habitatum huc cónmigrauit nósque exturbauít foras.
CH. Vbi nunc filiús meus habitat? ST. Híc, in hoc pestículo.
CH. Mále disperii. ST. Crédidi aegre tíbi, id ubi audisses, fore.
CH. Égo miser summís periclis súm per maria máxuma
Véctus, capitalí periclo pér praedones plúrumos
Mé seruaui, sáluos redii, núnc hic disperií miser
Própter eosdem quórum causa fui hác aetate exércitus.
Ádimit animam mi aégritudo. Stásime, tenĕ me. ST. Vísne aquam
Tíbi petam? CH. Res quom ánimam agebat, túm ĕsse offusam opórtuit.

CALLICLES CHARMIDES *senes.* STASIMVS *seruus.* IV, 4.

CAL. Quid hoc híc clamoris aúdio ante aedís meas?
CH. O Cállicles, o Cállicles, o Cállicles,
Qualíne amico méa conmendauí bona!

CAL. Probo ét fideli et fído et cum magná fide.
Et sálue et saluom te áduenisse gaúdeo.
CH. Credo ómnia istaec, sí itast ut [*tu*] praédicas.
Sed quís istest tuos ornátus? CAL. Ego dicám tibi.
Thensaúrum ecfodiebam íntus dotem fíliae
Tuae quaé daretur. séd intus narrabó tibi
Et hóc et alia. séquere. CH. Stasime! ST. Em! CH. Strénue
Curre ín Piraeum atque únum curriculúm face.
Vidébis iam illic náuem qua aduectí sumus.
Iubéto Sagariónem quae inperáuerim
Curáre ut ecferántur et tu itó simul.
Solútumst portitóri iam portórium.
Nihil ést morae. cito ámbula. actutúm redi.
ST. Illíc sum atque hic sum. CAL. Séquere tu hac me intró. CH. Sequor.
ST. Hic méo ero amicus sólus firmus réstitit
Neque démutauit ánimum de firmá fide,
Quamquám labores múltos * * *
[Ob rem laborem eum ego cepisse censeo]
Sed hic únus ut ego súspicor seruát fidem.

ACTUS V.

LYSITELIS *adulescens.*

(anap.) Hic homóst ŏmnium hominum praécipuos,
Volŭptátibŭs gaudiisque ántepotens.
Ita cónmoda quae cupio éueniunt,

Quod ago ádsequitur, subĕst, súbsequitur.
Ita gaúdiis gaudium súppeditat.
Módo me Stasimus Lésbonici séruos conuenít * *
Ís mihi dixit súom erum peregre huc áduenisse Chármidem.
Núnc mi is propere cónueniundust, út quae cum eius fílio
Égi ei rei fundús pater sit pótior. eo * * *
Séd forĕs hae sonitú suo mihi moram óbiciunt incómmode.

CHARMIDES CALLICLES *senes*. LYSITELIS LESBONICVS *adulescentes*. V, 2.

CH. Néque fuit neque erít neque esse quémquam hominem in terra árbitror,
Quoí fides fidélitasque amícum erga aequiperét suom.
Nam aédibus me exaédificasset éx his, apsque té foret.
CAL. Síquid amicum ergá bene feci aut cónsului fidéliter,
Nón uideor meruísse laudem, cúlpa caruisse árbitror.
Nám benficium [*id*] hómini proprium quód datur, prosúm perit.
Quód datum utendúmst, repetundi id cópiast quandó uelis.
CH. Ést ita ut tu dícis. sed ego hoc néqueo mirarí satis
eúm sororem déspondisse suam ín tam fortem fámiliam.
CAL. Lýsiteli quidém Philtonis fílio. LYS. Enĭm me nóminat.

CH. Fámiliam optumam óccupauit. LYS. Quíd ego cesso hos cónloqui?
Séd maneam etiam, opínor. namque hoc cónmodum orditúr loqui.
CH. Váh. CAL. Quid est? CH. Oblítus intus dúdum tibi sum dícere.
Módo mi aduenientí nugator quídam occessit óbuiam,
Nímis pergraphicus sýcophanta. is mílle nummum se aúreum
Meó datu tibi férre et gnato Lésbonico aibát meo.
Quem égo nec qui esset nóram neque eum ante úsquam conspexí prius.
Séd quid rides? CAL. Meo ádlegatu uénit. quasi qui aurúm mihi
Férret aps te quód darem tuae gnátae dotem, ut fílius
Túos, quando illi a mé darem, esse adlátum id aps te créderet
Neú qui rem ipsam pósset intellégere, thensaurúm tuom
Me ésse penés, atque eúm lege a me pópuli patrium pósceret.
CH. Scíte edepol! CAL. Megarónides conmúnis hoc meus ét tuos
Béneuolens conméntust. CH. Quin conlaúdo consilium ét probo.
LYS. Quíd ego ineptus, dúm sermonem uéreor interrúmpere,
Sólus sto nec quód conatus sum ágere ago? hominis cónloquar.
CH. Quís hic est qui huc ad nós incedit? LYS. Chármidem socerúm suom
Lýsitelis salútat. CH. Di dent tíbi, Lysitelis, quaé uelis.

CAL. Nón ego sum salúte dignus? LYS. Ímmo salue, Cállicles.
Húnc priorem aequómst me habere. CAL. Túnica propior pálliost.
CH. Deós uolo consília uostra [*récta*] recte uórtere.
Fíliam meam tíbi desponsam esse aúdio. LYS. Nisi tú neuis.
CH. Ímmo haud nolo. LYS. Spónden tu ergo tuám gnatam uxorém mihi?
CH. Spóndeo et mille aúri Philippum dótis. LYS. Dotem níl moror.
CH. Si ílla tibi placét, placenda dós quoquest quam dát tibi.
Póstremo quod uís non duces, nísi illud quod non uís feres.
CAL. Iús hic orat. LYS. Ínpetrabit te áduocato atque árbitro.
Ístac lege fíliam tuam spónden mi uxorém dari?
CH. Spóndeo. CAL. Et ego spóndeo itidem. LYS. Oh sáluete adfinés mei!
CH. Átque edepol sunt rés quas propter tíbi tamen suscénsui.
CAL. Quíd ego feci? CH. Meúm conrumpi quía perpessus' fílium.
CAL. Si íd mea uolúntáte factumst, ést quod mihi suscénseas.
Séd sine me hoc aps te ínpetrare quód uolo. CH. Quid id ést? CAL. Scies.
Síquid stulte fécit, ut ea míssa facias ómnia.
Quíd quassas capút? CH. Cruciatur cór mi et metuo. CAL. Quídnam id est?

CH. Quóm ille itast ut ésse nolo, id crúcior. metuo, 1170
sí tibi
Dénegem quod me óras ne te léuiorem erga mé
putes.
Nón grauabor. fáciam ita ut uis. CAL. Próbus es.
eo ut illum éuocem.
CH. Míserumst male promérita ut merita súnt si ul-
cisci nón licet.
CAL. Áperite hoc, aperíte propere et Lésbonicum sí
domist
Fórăs uocate. ita súbitost propere quód eum conuen- 1175
túm uolo.
LES. Quís homo tam tumúltuoso sónitu me exciuít
foras?
CAL. Béneuolens tuos átque amicus. LES. Sátin est
salue? díc mihi.
CAL. Récte. tuom patrém rediisse sáluom peregre
gaúdeo.
LES. Quís id ait? CAL. Ego. LES. Tún uidisti? CAL.
Et túte item uideás licet.
LES. Ó pater, patér mi, salue. CH. Sálue multum, 1180
gnáte mi.
LES. Síquid tibi, patér, laboris — CH. Níhil euenit,
né time.
Béne re gesta sáluos redeo, sí tu modo frugi ésse uis.
Haéc tibi pactast Cállicletis fília. LES. Ego ducám,
pater,
Ét eam et siquam aliám iubebis. CH. Quámquam
tibi suscénsui,
Míseria [*una*] uní quidem hominist ádfatim. CAL. 1185
Immo huíc parumst.

Nám si pro peccátis centum dúcat uxorís, parumst.
LES. Át iam posthac témperabo. CH. Dícis, si faciés modo.
LYS. Númquid causaest quín uxorem crás domum ducam? CH. Óptumumst. —
Tu ín perendinúm paratus sís ut ducas.
ω. Plaúdite.

Berolini. Typis officinae Draegerianae (C. Feicht.).

JAN 6 1888
MAR 28 1888
NOV 6 1888

Lp 26.490
Comoediae.
Widener Library
006528277
3 2044 085 220 051